



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi Archiepiscopi Pragensis

Balbín, Bohuslav

Pragæ, 1664

De Vita rebúsq[ue] gestis Arnesti Primi Archiepiscopi Pragensis. Liber I.
Qui Ejus ortum, pueritiam, juventutem, ac reliquam usque ad Episcopatum
ætatem complectitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42763

De Vita rebusq; gestis Arnesti
Primi Archiepiscopi Pragensis.

LIBER I.

Qui

*Ejus ortum, pueritiam, juventutem, ac reli-
quam usque ad Episcopatum etatem
complectitur.*



ARNESTI, seu **ARNE-**
STI Laudatissimi Præsulis oblitteratam
vetustate memoriam, resque cum vir-
tute gestas, jam trecentorum annorum
oblivione sepultas, narratione revoca-
re in lucem constitui. Præclarus sine
dubio, DEO, Cœlitibusque gloriosus,
atque utilis in omnes labor, clarorum
virorum facta, morésque posteris tradere, & in hac etate, qua
novitatis avida plus nimio, incuriosa Majorum vivit, & pessimâ
seculi inclinatione, vitijs non suis urgetur, signum aliquod ex an-
tiquitate erigere, unde exempla pulcerrimarum Virtutum, & anti-
quæ *Bohemorum* Pietatis (quo nomine quondam per terras omnes
celebris, etiam testimonio Summorum Pontificum *Bohemia* habeba-
tur)

Consiliū Au-
thoris in
hoc libro
scribendo.

V. Bohemianis
Tiam Pontifici
libri 7. man
h. 1. & 6.

VEN. Arne-
stus ad imi-
tandum pro-
ponitur om-
nibus.

Carolus Scriba
nus in Politico
Christian. l. 2.
C. II.

Arnestus Vir
magnum
meritorum
inter Anti-
stites Pra-
genes.

Cur Arnesti
Virtus tanto
tempore la-
tuerit, & cul-
ta non sit.

batur) peti possint. nec enim altitudo ARNESTI ac dignitas imi-
tationem aspernatur, acerte potius Civium suorum studia de-
bet, ut quod *ille* vir summo loco natus, in summa fortuna, & ma-
xima quæ fortunam sequi solet, licentiâ, in Regnorum Imperijque
administratione, inter medios-honores, in *Aulis Pontificum*, ac *Cæ-*
sarum (ubi difficilis Virtus esse solet) inter opes, & turbam innu-
merabilem Clientum, in Virtutibus ausus est, Nos in humili stan-
tes, in quotidiana, tenuisque vita (in qua maximum ad virtutem,
præsidium collocatum esse scimus) sequamur, pudeatque ab occu-
patissimo Præsule, curis Ecclesiarum, Regnorum ac Imperij obru-
to, strepitu tot Aularum, servorum, Procerum, negotiorum cir-
cumsonante, Nos uni DEO voluntate & necessitate virtutis devo-
tos, quosdam in otio sanctæ Religionis viventes, alios conditione
temporum oppressos, superari. quod si tamen, per imbecillitatem
animi, nondum ad imitationem ascendere possumus, illud certè
proximum teneamus, ut laudemus Virtutes, & omni præconio di-
gnas arbitremur. Ac sanè (si unum *Adalbertum* tot Regnorum
Apostolum excipiamus) nescio, quem mihi ex omni Antistitum no-
strorum numero, nominare antiquitas possit, ARNESTO majorem.
Habuit enim vero Pragensis Ecclesia Sanctissimos *Præsules*, miracu-
lis in vita, & ab obitu claros, sed in quem tot bona, ut in ARNE-
STUM confluerint, non invenio: nobilitate illustris, dignitate
& honoribus primus, Princeps, Cardinalis, summus Carolo Cæsari
in regendis Imperijs Consiliarius & administer, miraculis clarus,
virtutibus clarior, Pater Pauperum, tot Cœnobiorum opulentissi-
morum Fundator, magnificentiam Pontificali insignis, denique is
ARNESTUS, quem ad summam in Ecclesia dignitatem, Romana Curia
Purpuratque Patres destinârunt. Illud inter hæc Lectori meo
admirationem movebit: quid istud tandem negotij sit? adeone
virtutem & gloriam latere potuisse, ut post annos denique trecen-
tos, ab uno aliquo scriptore, idque privato consilio, præconium
inveniret? cur ea vitæ sanctitas, & consecrata miracula, publicis
Ecclesiæ honoribus ornata non sunt? cur Reges ac Principes, cur
amantissimus sui ARNESTI Cæsar *Carolus*, cur *Sancta Pragensis Ec-*
clesia,

clesia, cur *Regnum* cessavit? non cessavit profectò (quis enim
 in historijs nostris ex Præsulibus copiosius quàm ARNESTUS lauda-
 tus est? *Vitam* insuper ARNESTI, ab æquali temporum illorum,
 scriptam inter manus habemus, quamvis negligentia alicujus su-
 spicionem vitare Scriptor omnino non possit) sed incidere ab Ar-
 nesto tam calamitosa Bohemiæ tempora, ut non de ornandis mor-
 tuis, sed de jugulis Catholicorum servandis sollicitudo Regum vi-
 gilaret. Simul *Hussus* hæsiarcha caput dirum extulit, ruit alto
 à culmine Patria, volitabant infesti *Taboritarum, Pragensium, &*
Orphanorum exercitus, mille modis excarnificati Catholici, tem-
 pla, Cœnobita, libri, memoriæque omnes cum pulvisculo ablata,
 incensæ, abolitæ, cum saxis aded, & ruinis Templorum & Cœno-
 biorum, quasi Religionem profiterentur, bellatum; sub *Wenceslao,*
Sigismundo, Alberto, Ladislao, Georgiô, Regibus cœlum & ter-
 ram & inferos misceri vidisles. tum denique toto Regno fusa hæ-
 resis ipsâ quiete à *Wladislao* usquè ad *Ferdinandum II.* inveteravit.
 Quisnam igitur honorandæ sanctitati locus? quod tempus in tot
 ignibus, & extinctis sanguine incendijs reliquum fuit? quidquid
 laudis & gloriæ, quidquid opulentæ felicitatis Bohemia unquam
 habuit, circa *Caroli IV.* tempora effloruisse, scriptorum omnium
 vox est, quod tamen integrum monumentum ex ijs temporibus
 ad nostram ætatem pervenit? Nimis ignarus Bohemæ antiquita-
 tis esset habendus, qui eam hodierno aspectu & pede metiretur.
 ô *Viri!* ô *Bohemi!* vix umbram gloriæ veteris & majorum æqua-
 mus! sumus profectò grande divinæ indignationis documentum,
 & sicut vetus ætas vidit, quid ultimum in felicitate esset, ita nos
 vidimus quid in calamitate foret extremum; Hæc igitur qui at-
 tenderit, simulque clades, quas *hæresis* attulit, cum gloria vetere
 compararit, non mirabitur sine dubio, toto Regno in caput ruen-
 te, ARNESTI nomen cumulis involutum latuisse, & nunc sub mi-
 tissimo Principe ERNESTO II. cui olim memoria paratur, evolvi.
 At mihi privatim jucundissimum erit desiderium ac votum, quod
 ante Arnesti tumulum orans pridem conceperam, decennioque in-
 tegro presseram, aliquando tandem explere; tum præteritam æ-
 tatem

Hagek A. 1264.
 Dubrau. l. 22.
 Paproc. in Ar-
 nesto. M. S. vita.
 Fontanus in
 Arnesto.
 Lupic in Ca-
 lend. hist. &
 Wenceslao. 30.
 Junij.
 M. S. Chroni-
 con Glac.

Calamitates
 Bohemiæ
 post mortem
 Arnesti.

Infelicitas
 Regni Boh.

Tac: præfat.
 ad Vitam lu-
 lij Agricola.

Author Ve-
 ti reus hunc
 librum scri-
 pfit.

tatem ignavissimi silentij ream, unâque me ipsum, cui tot auxilia, & vetusta manuscripta de ARNESTO (ut ante me forsitan alteri nulli) sponte affluerunt in manum, absolvere ; tum denique præsentés, & postfuturos homines, si quis ARNESTO unquam honos erit, ad tanti Viri Virtutes æmulandas accendere.

Notæ in Præfationem Libri Primi.

Notarum utilitas.

Dabunt veniam Lectores mei, si ea que in contextu historia sine fastidio legentium, & perturbatione instituta narrationis adferri non poterant, hic in Notis unum in locum componam, & annotem. Factum est exemplo: ita ante me Garafius Noster Rhemensis sua Notis crudissimis illustravit, & Rowerius, Lipsius, plurimiq; alij scriptores fecere. Erunt aliquando (dicendum enim est, ut vendibiles lectoribus meas hæc merce faciam) tam uberes, tamq; utiles & curiosa Notæ, ut ipsi historie notitiâ rerum nihil concedant. Si fidem non habes, ad te ipsum Lector provoco! lege & frue.

In Panegyrii Henrici IV. Lipsi. in Politicis, alijsq; omnibus Operibus.

De Arnesti nomine, an Ernestus an Arnestus sit dicendum.

In Archivis Glacensi S. 1.

In. ss. hist. Boh.

Pictas Veteris Bohemiz.

ERNESTI seu ARNESTI. Nihil magnopere referre arbitror, an ut hodie multi ERNESTUM, an parentis nomine ARNUSTUM, vel ARNESTUM dicamus. Qui nuper Mariale ediderunt, sæculi Nostri more, ERNESTUM appellant: ego fastidium delicati hujus sæculi merito in appellando ARNESTO timere possem, nisi ipsum ARNESTUM (cujus quam plurimas latinæ litteras, quasdam Viri Sancti manu scriptas, mihi videre contigit) haberem in partibus, qui sine dubio optimè suum calluisse nomen censeri debet. Pro omni argumento sint Erektionum, Libri, Caroli ad Arnestum litteræ, Pontificum Bullæ, Vita Author, Manuscripta Bibliothecarum omnia, Foundationes ejus omnes, ac denique Dubravius, qui semper Arnestum, nunquam aliter, appellant.

Antiquæ Bohemorum Pietatis. Hanc Pietatem nemo melius ex omnibus scriptoribus quos editos hætenus viderim, descripsit quam Georgius Bartholdus Pontanus S. Metropolitanæ Ecclesiæ Præ-

ſia Pragenſis Propoſitus, libris ſeptem de Bohemia Pia vulgatis, quorum vix veſtigium adumbrarunt ceteri. Exſpectantur propediem Sacri Pulveres Regni Bohemice ab erudita manu, quorum titulos vidi; omnia (ſidenter ſcribo) digna ſunt aternitate. Summorum, quas hic reſpexi, Pontificum litteras recitavit Pontanus. lib. 5. & 6.

In aula difficilis Virtus. D. Gregorius Magnus ab D. Greg. 1.6. Epist. 190.
Aula Imperatoris Virum nobiliſſimum retinens, probat: nullibi pejus Chriſtum, quam in Aulis tractatum, in vilibus contra locis honoratum: a Magis in ſtabulo & c. à Simone leproſo & c. Aula nihil eſt aliud quam Collegium Gigantum, ait quidam; & ſcriptor novus: in aulis neglecta ſape Virtutum familia eſt. Videantur Conzen, Menochius, Scribanus &c. in Politicis. Aulica Pietas.

Nimis ignarus Bohemæ antiquitatis &c. Vbi Gloria Veteris Bohemice.
nunc centum in ſola Bohemia florentiſſima Civitates, quarum nomina recitare poſſum? ubi trecenta oppida? ubi ducentæ ſexaginta munitiſſima Arces? ubi triginta pagorum millia, trecenti & ſexaginta tres, ut villarum numerus non ineatur? ubi viginti Eccleſiæ Collegiata? ubi Parochiales Eccleſiæ duo millia tres, & triginta? ubi illa Templorum ſubſtructiones, & Cœnobiorum miracula qua prædicat Sylvius? ubi adſciorum privatorum, & publicorum illa moles? ubi Procerum, & præcipuè Archi-Epiſcopi aula? ubi tot ad Coronam Regni ſpectantes Provinciæ ac ditiones præſente Regni pecuniâ emta, aut redemta? ubi tanti ad bella apparatus, ut Praga duos trèsque exercitus deſubito poſſet armare? ubi ea hominum multitudo, ut aliquando unâ die centum advenarum millia Praga numerarentur? ut Bohemi pro ſtipendio, præ multitudine ad ſervitia Regum Exterorum, & bella, emitterentur? bellatum eſt pro Polonis, Crucigeris, Miſniacis, Gallis, Romano Imperio, viciniſq; ac remotis Gentibus? ubi populi ac præcipuè Nobilitatis, veteres divitiæ? ubi cura fodinarum auri, argenti, plumbi, ſtanni, & gemmarum? ubi margarita? tum auriferi fluvij & auri glareis eluendis celebrati? ubi præcioſi lapides? ſed hæc minora: ubi Nobilitas Patria? ubi Baronum plures centum. Veteres familia, in quibus ejuſdem ſape ſtirpis viginti & triginta viri-

6. De Vita VENERABILIS ARNESTI Lib. 1.
lis sexus Proceres numerabantur? ubi propè ducenta Equitum stir-
pes generosissima, ad arma nata? quam volupe fuit videre ad Comi-
rium equitantes, & consulentes in medium audire? ubi deniq; Regni
opulentia, dignitas, gloria, arma, & victoriæ per Regna, etiam usquè
ad mare Balthicum circumlata? ubi Sanctimonia, & Pietatis exem-
pla? ubi amor Civium, & fides nullis moribus externis corrupta?
ubi honorata Scientia, & Doctorum copia? ubi totius Bohemiæ ex ipso
terro cultu fertilitas? plura querere nō audeo. Hac sine dubio narrata,
& explicata, gloriosum Bohemiæ vestigium exprimerent. At nunc & c.

Venerabilis Arnesti Archiepi- scopi Pragensis Natalium Splendor.

C A P U T I.

Virtutis dignitas, & gloria nullis quidem adscititijs eget or-
namentis, ut pote quæ se ipsâ contenta, ut *virgula* quæ-
dam *divina*, quidquid contigerit, roseum, formosum &
aureum reddit; non tamen ita horrida, inculta, aut bar-
bara existimari debet, ut nobilitatem generis, divitias, dignitatem
ac splendorem honorum aspernetur; quin adeò, ut verissimè
Cassinus ostendit, hæc omnia præsidia sunt, & adjumenta maxima-
rum virtutum. *Nobilitas* educationem optimam, & litterarum
cultum adducit, ex his opes & honores gignuntur, his ipsis para-
tur autoritas, autoritas facultatem præbet maximarum rerum,
ad DEI gloriam & regnorum incolumitatem gerendarum, virtu-
tesque non viles, clausas atque ut ita dicam, *de trivio*, sed heroi-
cas, publicæ utilitati, Curia, templis, Aulis & Regnis servientes,
exercendas, & edenda exempla pulcherrima, quæ admirari, non
perinde imitari, vulgus bonorum inerme, & sine viribus possit.
Hanc

*Cassini. 9. 1.
in Aula S.
pafim, max.
lib. 1.
Nobilitas ad
Virtutem i-
donea maxi-
mè.*

Hanc quoque nobilitatis Gloriam, seruo suo ARNESTO, quem ad Regum Cæsarum, ac Pontificum familiaritatem, ad aulas Principum incolendas, & regendas, ad summas utriusque reipublicæ obtinendas dignitates destinârat, ut olim *D. Ambrosio*, alijsque Ecclesiæ heroibus futuris, circumposuit DEUS.

Inter Illustriores, vetustioresque in Bohemia stirpes Equitum una, de *Pardubicz* fuit; cujus familiæ majores jam inde ab anno sæculi 942. sub *Conrado* Franconiæ Duce, *Rottenburgi* cum alijs Imperij Bohemiæque Proceribus, ludis Trojanis interfuisse leguntur, atque etiam feliciter, & fortiter decurrisse. Anno iterum 1042. cum *Henricus III.* Cæsar *Hallis* in Saxonia ludos Equestres ederet, *Wenceslaus de Pardubicz* virtutem suam in Imperij totius conspectu probavit, cui ut secundò decurreret, singulari gratiâ, & favore Cæsaris, est concessum. Magna deinde huic nobilissimæ genti A. 1159. gloria, rarum decus accessit: Obsederat *Mediolanum*, Urbem Imperio rebellem, *Fridericus Imperator*, *Ahenobarbus* cognomento; aderant inter cætera auxilia, cum Rege suo *Wladislao*, Bohemi ex omni nobilitate lectissimi. hi nocte quâdam, pertulantiâ militari, mœnia transgressi, urbem perturbant, multâque cæde grassati in forum perveniunt; ibi raptis per tumultum Equis, quasi justo prælio diu certatum. jam satis ostensâ virtute, cum multitudo urgeret, exsectâ portâ, salvisque ordinibus revertentur ad suos. *Gessék* unus ex hujus familiæ Proceribus pugnando occupatus, ultimus Equitum restitabat in porta, jamque equum ad suos converterat, cum repente cataracta ferrea, quæ portis Urbium prætendi solet, abscissa in abeuntis tergum deijcitur, & equum dimidiam aufert; Dux generosus partem Equi donare se *Mediolanensibus* clamat, partem priorem spectaculi gratiâ refert ad castra. Vidit redeuntem Rex *Wladislaus*, & matre virtute inquit, *Eques animose! hoc tuum Tuâque Genti perpetuum sit in clypeo trophæum, & Equestris Fortitudinis insigne decus!* firmavit gloriosum donum die altero *Fridericus Cæsar*, eumque cum pluribus Socijs *baltheo* militariter cingi jussit. Exinde stabilita in regno stirpis hujus potentia, decus, autoritas, aggestaque Regum gratiâ opes & di-

Libri vetustissimi Torneamentorum Francorum scripti ante C. annos editi. A. 942. & 1042.

Equitum de Pardubicz. Vetustas, & Gloria.

Hagel. A. 1159. Dabran. Epist. Olam. hist. Boh. h. 12.

Paprecius in Equitibus C. 20. VVelestavin. l. 3. Polit. in præfat. Otto Frisingens. Radevicium. Dresserus &c.

Caput acris equi in Malocciorum clypeo, unde ortu habeat.

& dignitates; cùmque multitudine etiam crevissent, ex more eorum temporum divisere sese coloribus, alijque *aureum*, seu *flavum*, alij *argenteum* seu *candidum*, postremi etiam *nigrum* Equetium dimidium gestaverunt in scuto; sed ejus gentis antiquitates omnes, & quidquid illustre inveniri potuit peculiaris habet tractatio quâ *Maloveciorum* Equitum origines sum complexus, eadem enim ab stirpe *Domini Malovecz*, & de *Pardubitz* descendunt, adeoque *Malovecij* meritò inter Majores suos Arnestum numerant ut *Paprocus*, alijque scriptores ante me docuerunt. Illud addendum hoc loco videtur nobilissimam *Zobeliorum* in Franconia gentem (nisi fortè ea Bohemicam nostram Origine respicit) Clypeum prorsus cum ARNESTI Majoribus communem hodièque gestare, nè coloribus quidem variatis; ex qua gente *Melchior* Herbipolensis Episcopus Franconix Dux, heros inclytus, & fide in Carolum, Cæsarem bello Smalcaldico probatâ spectatissimus, ortum duxit.

Satis de nobilissimo ARNESTI genere, *Equitum de Pardubicz*; certè ARNESTI Pater ARNOSTUS (ita enim se se omnibus litteris appellat) non modò cassum & inanem titulum gessit, sed ipsam Civitatem *Pardubicium* ditione tenuit, ut ejus Testamentum ostendit, hodièque ea Civitas insigne gerit dimidium Equum frenatum argentei coloris, quo ipso omnes ARNESTI, fratrumque ejus litteræ, ac monumenta consignata & munita videmus. Unde in Nobili illa Turri Pardubicensi (quam celebrare Proverbio notissimo Veteres solebant) sub Urbis Insignibus, hodièque Carmen legitur:

*Ernestus primus tulit hæc Insignia, Praga
Antistes, qua nunc Urbis Tuae Cæsar, habet.*

Notæ in Caput Primum.

Nobilitas educationem optimam. *Nobilitatem*
majora quàm Paupertatem presidia ad virtutem habere eruditissimè *Cassinus* omnibus *Aula sua sancta* libris demonstrat, quem obvium Authorem describere non vacat. Vide qua scripsi in *Originibus Malovecior: Not. 2,*

Malovecij
ab eadem origine cum
Dominis de
Pardubicz
descendant.

Paprocus, in
Equitib. C. 20.
Georg. Crug.
S. I. in Pulveribus Sacris 30.
Junij.

M. S. Bâthensis
Bibliotheca
de Episcop. Herbipolens. in
Melchior Episcopo. 64.

In Archio S.
I. Glacij.

Pardubicium
Civitas inditione
Arnesti
& majorum
ejus fuit.

Nobilitatis gloriam seruo suo. *Animis illustribus, &*

Virtutum capacibus de campo providere solet Deus, & plerumque ad Aulas Principum mittit. Ea ipsa causa est, cur Moses à filia Pharaonis inventus sit, ut Princeps populi futurus, regnandi artes & omnem Ægyptiorum scientiam condisceret. Fam rem notavit Philo lib. de Vita Moysis, aliq; scriptores alijs exemplis confirmant. Vide Sallianum in Annalibus, Pererium, aliq; Interpretes divinarum litterarum de Josepho & Moyse Scribentes, Caussinum item in Ambrosio.

Moenia transgressi Urbem perturbant.

Rem paullo aliter narravit Dubravius; scilicet portam militariter occupatam multisq; in foro editis facinoribus cum sociis incolumem alteram portam rediisse. Idem de Equite Romano Claudio narratur apud Livium, qui citato Equo urbem hostium inuectus, antè quam intercipi posset, alteram urbis portam illafus peruenit ad suos. Militares hujusmodi casus prioribus seculis usitati, & alioqui militares animi audendo multa expediri posse delititant, quæ nimium prudentes, impossibilia crediderunt, acutèq; Florus de M. Pompeij filio dixit: Magnæ indolis est sperare semper.

Arnesti Pater Arnostus, *Arnestum omnes memo-*

ria antiqua, omnesq; historici ex Equitum de Pardubicz profapia ortum significant: Hagek, Paprocus, Lupacius, Weleslawinus, Ælurius, aliq; idem ostendunt Insignia, quæ passim Pardubicium in Curia, Glacii in Arnesti tumulo, Pragæ in fornice Cathedralis Ecclesie, in Turri S. Egidii quam absolvit Arnestus, alibiq; spectantur; idem probat Fundatio Cænobij Pardubicensis ab Arnesti Majoribus, ut testatur Paprocus (in Croit. tit. Pardubicium) instituta ut dubitare nemo possit. Arnesti Patrem Arnultum fuisse, idem Authores affirmant, & quid argumentis opus? est in manibus meis Testamentum Arnulti Parentis A. 1341. IV. Calendas Januarii in arce Scara scriptum quod postea recitabo; Dominus Malovecios cum Arnesto communem originem sanguinis & stirpis habere, in Originibus eorum probavi; diserè id asserit Paprocus C. 20, in Equitibus & R. P.

Viri insignes ad Principes & Reges mittuntur.

Dubrav. l. 12, hist. Bohem.

Livius Decad. 3, lib. 3.

Audaces evadunt, ubi timidi percutunt.

Florus l. 4, C. 3

Arnesti nobilitas.

Hagek. 1304.

Lupac. 12.

Martii. VVeleslav. 30. Junii. Paprocus in Arnesto.

Ælurius in Glaciogr. M. S.

Vita duplex, Chronicon Glacense. Pontan. in Ernste.

in Ernste.

in Ernste.

in Ernste.

in Ernste.

in Ernste.

in Ernste.

in Ernste.

in Ernste.

in Ernste.

in Ernste.

in Ernste.

Familia Dominorum de Pardubicz extincta,

Crugerus in Pulveribus Sacris, ult. Junij. Porro duplicem Familiam Dominorum de Pardubicz aut Pardowicz aut Bardobitz in manu scriptis invenio, Baronum alteram, alteram Equitum, ut ex manuscripto Aulae Carolinae intelligi facile potest. Vtraque stirps perit: Illa Baronum in Clypeo Gallum album in aureo campo gerebat, haec dimidiatum Equum ut dixi; ex hac equestri ortum habuit Arnestus, ut historici omnes observant. Illa usque ad Annum 1553. perduravit, eo enim Anno ultimus ejus familia, Sobieslaus de Pardovicz inter Barones Comitibus subscriptus invenitur.

Arnesti Archi-Episcopi Pater,
& Mater; Patris dignitas, opesque,
maximae, gratia apud Caesarem
Carolium.

CAPUT II.

Arnestus, cujus vitam scribimus, Patrem Arnestum, seu, ut solebat subscribere, Arnustum de Pardubicz, & de Scara, Matrem Adeliczkam, seu (quod hodie est) Adelheyden habuit, illustri Equitum & vetusta profapia insignes & maximorum ditionum dominos; Matris genus ex antiquitate non traditur, sed illustre quoque ipsum fuisse, magna nobilium antiquorum in ducendis faminis religio & summus in conjugiiis delectus, evincit. Multum sine dubio aberrarunt a vero, qui eum in vita Manuscripta veteri, Arnesti militis Filium fuisse legerent, vile aliquid de Natalibus Arnesti suspicabantur. Ignoravere scilicet perpetuum Antiquitatis more, quae clarissimos nativitate Equites, perpetuo nomine Milites appellat. Baronum enim familiae
apud

Milites in antiquitate Equestris ordinis viri appellantur.

apud Majores nostros Reipublicæ gubernacula domi occupabant, Militiæ honores ab *Equitibus* tenebantur, ut proprium jam Equitum esset militare, & *militēs* appellari. Quam unam præcipuam esse arbitror causam, cur plurimarum Equestrium familiarum antiquitates in obscuro apud Bohemos remanserint: Magistratu nimirum, quæ certa nota nobilitatis est, & in historiis facilius consignatur, *Equites* apud nos destituuuntur. Serò tandem sub *Sigismundo* Cæsare, & Bohemiæ Rege, quòd Equitum egregià & fideli operâ in patrio regno recuperando usus esset, admoventi Reipublicæ Judiciisq; assidere *Equites* cœperunt, ut aliibi observatum à nobis est. Sed *Arnesti* Archi-Episcopi Patrem *Arnustum* Equestris ordinis Virum, autoritate tamen famâq; & opibus inter Proceres, *Carolo* Imperatori ejus nominis IV. (cujus tum Aula, Nobilitatis lectissimæ numero, & Procerum ex Imperio, Regnisq; omnibus affluxu celebrabatur) carissimum fuisse, ipse, quem dixi, *Imperator* in aurea quadam Bulla A. 1350. Cœnobio Glacensi data, significat, *Arnestumq; Archi-Episcopum, Principem dilectum, & Fratres ejus* (Bohullium, Smlonem, & Wilhelmum) *tum ob merita sua, tum propter genitoris ipsorum, cujus memoria in pace consistat, circumspeditionis industriam & constantem fidei puritatem, gratiosis semper favoribus prosequi, & amare se profitetur.* Apparet ex hoc loco, Munus aliquod publicum *Arnustum* Patrem gessisse, ut *circumspeditionem* suam Cæsari probare posset. *Castellanus* videlicet, & *Starosta* (quæ usitata illis sæculis erant nomina dignitatum) totiusq; *Glacensis Districtus* Præfectus, mortuo *Henrico* duce *Wratislawien*si ab ipso *Carolo* A. 1335. Glacii præsentate delectus, in gravibus illis inter *Ioannem* Regem Patrem & *Carolum* filium dissidiis, tam *circumspectè* utriq; se parti probavit, ut arcem munitissimam (Glacium) in obsequio filii teneret, Rege tamen Patre præcipite alioquin, & iræ suæ impotente Principe, perbenevolò uteretur. *Fidei* verò *puritatem*, quam Imperator commendat (cùm illa tempora hæresin non tulerint) sine dubio ad ardentem divini Numinis cultum, & singularem innocentiam vitæ, ac deniq; ad perpetuam in rebus sacris magnificentiam referre debemus. Ali-

In Notit. Regni Bohem.

Arnesti Patris dignitas & gratia apud Cæsarem Carolum. In Archivo Glacensi S. I.

Nota.

Starosta

VVeleslavin, in Calend. 30. Junii.

Arnesti Pater Castellanus Glacensis

Insignia Arnesti in Cathedrali Templo Pragæ.

Reverendis.
D. Sebastian.
Zbraslavv-
sky S. Metrop.
Eccl. Canon.
ita sentit.

Vide Hagek
1704. & lit.
Fundat. Glac.
M. 6.

Arnesti pa-
trimonium,
& divitiæ à
Patre.

quod hujus sanctæ magnificentiæ monumentum in Ecclesia Pra-
genſi ſupereſt; nam eam Eccleſiæ partem, quæ à Sacratio ad altare
S. Viti trahitur, totam ab Arneſti Patre eductam exiſtimant, cujus
rei indicium præbent in tholo, & fornice templi altiffimo, ex-
preſſa vetuſto opere inſignia, *Equus dimidius candidus in Campo*
Ceruleo. Plura de Fide, Pietate, ac dignitate *Arneſti* adferre ex
Antiquitate non poſſum, ſed quantum animi opibus, tantum di-
vitiis ac Fortunæ muneribus cumulatus inter Equites *Arneſtus*
eminuit, id adeò ex *Caſtellani* dignitate, inter tot illuſtriſſimos
competitores, id ex *vita Auſica*, & filii *Arneſti* foundationibus di-
tiſſimis (quas ex patrimonio ſuo non opibus Archiepiſcopatùs ex-
citâſſe ipſe ſcribit) deniq; ex Teſtamento facile patet, certumq; eſt
Arneſtum filium, cùm Pragâ Glacium iter haberet, potuiſſe eâ
ratione iter dividere, ut in paternis tantùm ditionibus pernocta-
ret; nam ut taceam ea, quæ in diſtrictu Glaceniſi *Arneſtus*, *Smilo*
deinde ac *Wilhelmus* tenebant, *Arneſtus* Pater moriens *Hoſtinnam*
Arcem ad *Brodam* Civitatem, *Luban*, *Bukowinam*, *Czyrnam*, *O-*
ſtrzeſſan, *Hrzmin*, *Wazicze*, *Sedlyſce*, arcem deinde munitiſſimam
Pardubicz cum *Civitate Nova*, totamq; amœniſſimam illam, &
vitæ commodis, avium ferarumq; multitudine celebratam Provin-
ciam, *Arcem Scaram*, *Lhotam* geminam *Przevoſianam* & *Bi-*
barskam, filio *Arneſto* reliquit. Rara illo ſæculo opum felicitas,
quo nobiliſſimæ etiam familiæ unâ aliquâ villâ, commodè & ſplen-
didè ſatis, conditionem ſuam & nobilitatem tuebantur. Hæc de
Arneſti natalibus, ac Parentibus, jam propiùs ad ipſum cujus gra-
tiâ hæc memorata ſunt, veniamus.

Notæ in Caput II.

DE *Pardubicz* & de *Scara*. *Virumq;* loci nomen
eſt; ſcio nihilominus *Scaram* apud veteres *Bohemia* *hſtoricos*
turmam Equitum appellari. *Cofmas Pragenſis* lib. 2. *Chronici* A. 1074.

Wra-

Wratisslaus, unam Scaram ex electis militibus pretio conduxit &c.

Arnesti militis filium. Ad euellendum hunc vulgi errorem Lupacius (in Calendario historico 12. Martij) disertè addidit: ARNESTUS militis, id est Viri Equestris ordinis filius, & Hagek: Arnestus Arnesti generosi Equitis filius. (Bohemice *Aratecneho Ritué Syn*) carent cā voce Latini, quā nos Illustrem Equitem, & ortu nobilem, qui militia gloriam affectet, exprimimus, ideoque paupertate verborum, Militem aut Equitem appellant; aptius hodie Itali Cavaglierum. Neque uni Bohemia, sed alijs gentibus id quoque usitatum Illustrissimos bello viros Milites appellare. Vide Laurentium Schraderum in Monumentis Italia plurima Epitaphia adferentem, in quibus illustrissimi quique nobilitate Viri, appellatione Militum in sepulchris ornantur.

Hagek. A. 1349.

Militis nomen appellatio Nobilitatis.

fol. 12. & 13. maxime circa Ann. 1377.

Totam ab ARNESTI Patre eductam. Ego hanc omnem gloriam putarim potius ad filium pertinere; constat A. 1343. iacta prima Pragensis Ecclesia fundamenta; at qui probabile est, biennio ante ARNUSTUM Parentem Scaræ obiisse, id indicare videtur scriptum A. 1341. Testamentum, quod postea referetur.

Hagek. A. 1343. Lupac. 1344. 12. Jul. VVclif.

Divitijs inter Equites. Graviter hallucinabitur, qui ex hodierno rerum apud nos statu, Equestris ordinis quondam potentiam, metiri volet: multi Equites olim auctoritate Barones provocabant, divitijs aliquando superabant. hinc illa de Regalibus, Sceptro, Corona, Pomo, &c. ferendis, Barones inter & Equites, in Coronationibus Regum, veteres controversia. similtates item & odia, quibus saepe comitia Bohemica velut fluctibus iactabantur; nec ignorare possumus opes, multitudinem ditiorum, ac pecunias, quibus olim Equitres familia ad Baronum invidiam, abundabant. ex his Liczek, & Nicolaus de Bubna Domini in Zamberg; quorum prior Ernesto Duci Bavariae, qui Comitatum Glacensem a Domino de Perenstein emerat, alter verò A. 1578. Regi ipsi de Terminis litem indixit. sumtus in eam litem quæ annis quadraginta tracta est, facti ad 75. Sexagenarum millia (id est aureorum 29. millia & quod excurrit) ascendere. In ea classe patrum & avorum memoria censebantur Equites: Treczkæi de Lippa, Wize-

Equitum olim apud Bohemos divitiarum.

Hagek. 1320.

Manuscripta Varia Barth. de Drahenicz in hist. suor. temp. M. S.

Eluvius l. 3. Glaciog. C. 2.

pa, (post Barones) Wrzesovecij, Daupovecij, Laubskij, Czerninij, Kaplirzj, Pessicij, Sudæ, Malovecij in Hluboka, Sekercæ, Ruti, Zylvari aliq; complures.

Arnesti Nativitas, Patria, Fratres item, eorumque in Aula Caroli Cæsaris authoritas.

CAPUT III.

QUOD ex præfenti luce in subterraneos quosdam specus descendentibus evenire solet, ut oculorum sensum amittere se subito putent, priusque manu res tangant, quam oculis percipiant, idem mihi deorsum in Antiquitatem,

Quo anno & die natus sit Arnestus

Lupac. in Cal. historico 25. Martij.

Locus Nativitatis.

Hagk. A. 1364.

S. Procopius Abbas in eodem loco natus.

eunti fateor accidere, tantæ circa primam ARNESTI ætatem tenebræ, adeo etiam Annus, quo nasci talem ac tantum Præfulem DEUS voluit, ignoratur. Proximè ante initium sæculi, 1300. ARNESTUM natum, fateamur necesse est, ut in ejus obitu probabo. Nescio unde *Lupacius* insignis historicus acceperit: Arnestum 25. Martij editum esse, sed annum non addidit. id si ita est, apparet divinæ providentiæ consilio factum, ut qui *Beatissima Virginis* gloriam annunciaturus erat in populis, consecrato ejus nomini die, velut sub Virgineo *Maria* sidere, & lunâ DEO plenâ, nasceretur. Quæ fortasse causa fuit, cur idem ARNESTUS hunc diem carum, semper ante oculos habuerit, atque etiam templis honorârit. ARNESTUS infans à Patre vitam & nomen accepit; Locum, in quo natus est, annotavere scriptores, sed in diversa discedunt: Nam *Hagk* Bohemæ historiæ Pater, in Caurzimensi Districtu, tribus ab urbe Pragâ miliaribus, proximè ad Bohemicam *Brodam*, in arce *Hofstinna* (paternâ scilicet in domo) natum scribit; *Procopius Lupacius*

simò

tijs, & ipse historiæ Patriæ scientissimus, in villa *Chotau* seu *Chotau* natum disertè affirmat, idque sequitur *Georgius Crugerius*; Locus est inter *Brodam Bohemicam*, & *Curinam Urbem* situs, eaque in villa tribus antè sæculis illustrissimæ Sanctitatis Vir, & Divorum adscriptus numero *Procopius* Ordinis S. Benedicti Abbas, primam lucem aspexit, atque adeo hæc duo Bohemiæ sidera *Procopius*, & *ARNESTUS* eadem regione terrarum, & cœli prodire; cætera omnia de *Arnesti* ortu sepelivit Antiquitas. Fratrum nomina in Manuscriptis Codicibus inveni: *Bohusse*, seu *Bohuslaus*, *Smilo*, & *Wilhelmus* vocabantur. duo postremi, minimique natu, in Cœnobij *Glacensis* Fundatione, velut ejus authores, cum *ARNESTO* Fratre subscripti leguntur, signa anulorum illæsa, Equelli salientis caput frænatum ostentant, uterque Cæsari *Carolo* gratissimus, ut antè significavi, laudatque Cæsaris litteris, tum à Patris, tum ab *ARNEATI* fratris, suisque meritis, magnâ in *Aulicorum* totiusque *Bohemiæ* veneratione fuerunt. Alterum ex his fratribus in intimam *Caroli Cæsaris* familiaritatem admissum, multa probant: vidit ipse *Augustâ Caroli Cæsaris* manu scriptas litterulas, *Noribergâ* ad *Scabinos*, & universitatem civitatis *Glacensis* 12. *Augusti*, Anno Imperij *XX.* datas, quibus ijs *VEN. ARNESTI* familiaris memoria, fundationem commendat, eamque commendationem mittere se ob diligentem, & sincerissimam fidem, quâ nos, (ait Cæsar) *Venerabilis ARNESTI* Frater, Patriq; ejus successor, obsequiosè prosequitur. Tertius *Arnesti* Frater *Bohussius Litomericensis* Propositus, Vir Eloquentiâ latinâ, atque Italicâ præstans, in ejusdem Cæsaris Aula summâ autoritate prudentiæ vixit, Legationibus pro Cæsare susceptis clarissimus, cui à *Ticinensibus* S. *Viri Martyris* corpus pro Regno feliciter A. 1355. impetratum, debet *Bohemia*. Ad *Ticinenses* enim Cæsare mittente profectus, magnâ eloquentiæ vi, exaggeratis Cæsaris in eam urbem meritis, spe maximorum præmiorum, gloriâ S. *Martyris* apud *Bohemos*, cujus jam brachium habebant, ostensâ, aliisque artibus, quibus se jactare solet facundia, S. *Vitum* extorsit & advexit in Patriam.

R. P. G. Crugerius
S. J. in Pul-
veribus Sacris
ut Janij.

de S. Procopio
Hagek in hist.
Boh. A. 1033.
& A. 1205.
M. S. varia
A. inrius in
Glaciogr.
Paprocus f.
326.
Fratres Ar-
nesti.
Fasciculus litt.
Caroli IV.
Num. 45.

A. 1365. à Ro-
mana coronatione
Caroli
annos imperij
numerabas.

S. Viti corpus
Frater Ar-
nesti Bohe-
mis impe-
trat.
Hagek A. 1355.

Notæ

Notæ in Caput III.

TAntæ circa ARNESTI primâ ætatem tenebræ.

Commune istud generis humani fatum, ut non modò corpus mortale circumferamus, sed pleraque mortalium facta mortalia sint, id plurimis etiam sanctissimis, & summis virtute Viris accidit, ut aliorum neq; Parentes, multòque etiam minùs prima pueritia acta, sciantur. Quàm pauca de Divina Matre sacris litteris tradita sunt! nimirum aternitati servantur.

Nulla memoria in terris diuturna.

Arces Nobilitati placet.

In arce Hostinna. Delectatur arcibus Nobilitas, &

altitudinem etiam in habitatione sectatur. De Arcium commodis & necessitate vide Scipionem Ammiratum in Politicis; quedam etiam brevissimè attulit, ut solet, Arnelmus de Bood Tomo III. Symbolorum in Vincentio Gonzaga.

Villa Chotaun. Conciliari forsitan utraq; sententia

ob loci vicinitatem potest: Hostinna Arnesti Arx, Chotaun aditus, ut suspicor, pagus & modò Hostinnam, modo Chotaun vulgus appellabat. ejus Arcis rudera hodiè que penes Auwal spectantur.

Bohusius Litomericensis Præpositus. Succes-

sisse in hoc munere Bohussius, Henrico de Schonburg videtur; hic ille Henricus est qui Ioannem IV. Episcopum Pragensem Arnesti antecessorem, Virum Sanctissimum, inanibus Romæ delationibus multùm exagitavit. Undecim ipsos annos cum summa Ecclesie sue jactura calumnijs jactatus Episcopus Regno abfuit, absolutus tandem A. 1329. revertit in Patriam. Vita Sanctorum perpetua quaedam patientia est, atque ut stelle salis, marinis que humoribus pasci dicuntur à Poëtis, sic Viri Sancti calumnijs, quæ eorum sanctimoniam plerumque ostendunt aut augent, aut faciunt, exercentur.

Arnesti antecessor multo agitatus adversis.

Virtutem comitantur adversa.

Arne-

Arnesti Prima ætas, & huma-
nissima Educatio.

CAPUT IV.

Cum sterili nudoque solo, ab Antiquitate desertus, confictor, dum denique in apertum aliquando, ad lætam virtutum messem eluctari possim: de seminibus conditis pronuciare nihil solemus; spes sola fecunditatis nos alit, ut præclare scripserit Aristoteles: *Pueros propter spem, ita enim loquitur, beatificari.* Non dubium est ARNESTUM puerum, cujus ingenium ad altissima quæque natum videbant optimi Parentes, optimè educari voluisse, in eamque rem omnia circumspexisse præsidia. Id cum ARNESTO factum reliqua ostendit vita: elegantissimis, civilissimis, & cultissimis moribus eum nobis describunt historici; addebant cœlestibus moribus gratiam singulare decus oris, & formæ dignitas, membrorum omnium decantissima constitutio, & corporis sublimitas quasi palmæ in cœlum crescentis; hæc omnia in ARNESTO commendavit Antiquitas. Sed animi venustas, ingenij capacitas, fidissima semper & obediens memoria, acre supra ætatem iudicium, longè acrius ad custodiam exstimulabant Parentes. Quippe sunt etiam ingenijs sua quædam cunabula, suæ, ut ita dicam, fasciolaræ, atque ut corporum educatio à lacte ducit initium, sic animi pueriles non unâ egent manu ut leventur, ut bonis verbis salutentur, ut iniciantur, ut os eorum *parvum nutricium more formetur.* Parvos Delphinas, ait Aristoteles, magnus aliquis semper comitari solet custodiæ causâ; ita tum ARNESTO Nobilitatis exemplo, in tanto præsertim splendore Natalium, additus est ex Oppido proximo Broda Sacerdotib⁹ abun-

C

dante,

Aristot. l. 1. in
Ethicor.Arnesti Pueri
doctes.Haged. 1384.
Lupacius, VVe-
leslawin. Pons
tanus loci cit.
M. S. Vita.Edmundus Ro-
cherus in ob-
stetricia animor.
in vit.Ant. Posseni-
nus S. 1 lib. de
Cultata In-
genior.

Cic. in Oratore.

Arist. de hist.

Aasm. l. 9. C. 48

Barib. de Dra-

hunicz. in M. S.

Hagek. A. 1491. dante, qui teneram pueri ætatem primis litterarum elementis, & cultu morum imbueret. quo scilicet Educationis suæ merito ARNESTUS jam Archiepiscopus, *Brodam* mœnibus ad diuturnitatē firmissimis cinxit, ipsamque urbem præclaris ædificijs, ac foundationibus opulenti ornavit. Præparato jam utcuq; ingenij solo, ad majores scientiarum Status recipiendos quotidie se ipso accommodatior reddebatur, & ingenitâ magnis ingeniis nobilitate, ludicra & vilia litterarum crepundia nauseabat, quærebat altiora, neq; desuere Parentes. Erat tum celebris in eo terrarum tractu bonarum artium Schola, quam *Rhody Equites Glacij*, ad Parochiam Beatiss. Virginis aperuerant. Illuc parvum *Arnestum* miserunt, & auctoritatem Scholæ, & opportunitatem locorum secuti, quippe *Arnestus* Pater, *Glacensis Castellanus*, *Domum* ea in Civitate, habebat, neq; ita procul aberat *Pardubicium*, ac reliquæ propius ditiones, unde Puer suppeditari alimenta commodè possent. *Glacij* egregijs, & amantibus Magistris usus, brevi non modò Latinam, sed etiam Germanicam linguam Puer percepit, tantâ felicitate, ut germanicam non minùs quàm maternam, & paternam calleret, cujus rei argumento, sæpius ad *Imperij Principes* in legationibus, quas obiit, publicè eâ linguâ peroravit: tum etiam ad Aulam Cæsaris *Caroli*, ex Proceribus ipsis & flore Germanicæ Nobilitatis collectam, extra Patriam *Noribergæ*, *Budissinæ*, alibiq; de rebus divinis è superiore loco verba fecit. Et habebat alioqui (quæ laus Bohemæ genti apud exteros non vanè tribuitur, idq; sine invidia dictum sit) habebat, inquam, capacissimum ad linguas peregrinas addiscendas ingenium, os facile & tenerum, neq; solùm *Bohemice*, *Latine*, *Germanice*, sed etiam postea *Italice* & *Gallice* tam expeditè & propriè loquebatur, ut non modò sermonis gentilem, ut ita dicam, habitum, sed nationum ipsarum genium, & mores, gestus & oculos loquentium, ad unguem exprimeret. Sed hæc diu post Peregrinationibus, & Aulis Principum, in quibus habitabat, est assecutus: Germanicam linguam, ut dicere cœperam, privatâ Magistri operâ docebatur, nam *Glacij*, ut ferè id temporis in vicina *Silesia*, *Slavica* adhuc lingua non nihil vigeat, ut *Stransky* scrip-

Glacium ad Melitensium Scholam mittitur Arnestus.

Arnestus multarum linguarum peritus.

Vide Notas in C. 12. l. 2.

Bohemorum facilitas in peregrinis linguis addiscendis.

Glacii olim Bohemica quoque lingua viguit.

scripsit, & Glacensis scriptor *Elurius* significat, ac nomina ipsa produnt locorum. Quamdiu Glacij litteris operam *Arnestus* dederit, non satis constat. Sed ita Scholas illas Glacenses, atq; ipsos Magistros *S. Joannis Equites* ex eo tempore adamavit, ut cum A. 1350. amplissimum Cœnobium Canonicis Regularibus *S. Augustini Glacij* conderet, inter Statuta, & Obligationes Cœnobio relictas, omni execratione, & sub Anathemate caverit, nè Canonici pueros docerent, nè Scholas haberent, ut sua *Scholis Equitum* gloria constaret, nève, pravâ æmulatione, frequentia puerorum in Parochiali Schola imminueretur. *Nobis* (ait *Michaël Præpositus Glacensis* in lite quadam, coram Duce *Henrico Georgii Regis filio* A. 1484. & coram *Blasio Pragensis Ecclesiæ Canonico*) *D. Arnestus felicitis recordationis prohibuit sub pœna Excommunicationis, quòd non haberemus Scholas secularium puerorum.* Eisdem *Equites S. Joannis*, quos hodie *Melitenses* appellant, multis honoribus, & opibus per omnem vitam auxit *Arnestus*; & sensere hanc secundissimam in Ordinem suum Pij Præsulis voluntatem *Equites*, cumq; de quibusdam Juribus non leves inter eos, & Canonicos controversiæ gliscerent, *Arnestum*, quamvis Canonicorum Fundatorem, quem meritò in partibus fore suspicari poterant, in omni re moderatum & equum omnibus arbitrum, ut vocant, laudatorem & compromissarium elegerunt; quem insuper appellant, *communem dominum amicum, & benefactorem spiritualem.* Commendatorem Melitensium, cui puer *Arnestus* adeò dilectus Glacij fuerit, nominare non possum, ex Manuscriptis tamen quibusdam suspicor *F. Henricum de Praga* id temporis Glacensi Domui præfuisse, cui postea *Henricus Silesiæ Dux, Dominus Wratislaviæ*, & in Glatz. A. 1321. decimas quasdam Ecclesiæ à Rege Bohemiæ *Joanne* A. 1319. 3. Nonas Julii donatas, publicis litteris confirmavit.

Stransky in Rep. Bojem. C. 7. S. 3. Elurius in Glaciogr. passim. max. l. 3. C. 20. Amor perpetuus Arnesti in Equites Melitenses.

In Chronico Glacensi M. S.

Littera M. S. Archiv. Glacense in Templum.

M. S. aliquot.

Arnestus amat Glaciũ.

Sed aliam quoq; hujus in Glacenses Scholas, ac Templum, aditum, amoris & venerationis causam, eamq; majorem præbuit illustre quoddam miraculum, quo *DEI Mater* in omne postfuturum tempus *Arnestum* sibi rapuit, & velut in rem suam manum

injecit. Narrabo rem ab Antiquitate testatissimam ipsius *Arnesti* verbis, simulac *Dive Virginis* in Templo Glacensi statuam, unde illud miraculum prodijt, breviter descripsero.

Notæ in Caput IV.

Glaci Slavica lingua; Nulli id dubium esse potest, qui modo in patria historia mediocriter sit versatus; Vide *Dissertationem meam de Comitatu Glacensi*. In Parochia Glacensi quondam duo, ut tum vocabant, Plebani à Melitensibus constituti: alter Germanicè, Bohemicè alter ad populum dicebant. Extant in vetustissimis membranis Plebano Bohemorum Glacij, ab Apostolico Nuncio Rudolfo A. 1461. missæ litteræ, quas Glacense Chronicon refert, hortantes, ut auditores suos Bohemos auctoritate sedis Apostolicæ ab obsequio & Sacramento Georgij hæretici Regis absolvat. Translati deinde, ob incommoda quadam, Bohemi sunt ad S. Wenceslai Templum ad Arcem situm: sunt apud me nomina quorundam Plebanorum Glacensium Bohemorum. Tota certè illa, quæ Pragensis vel Bohemica Platea Glacij dicitur, suo olim regebatur Præsfecto, qui Bohemicè jus dicebat, ut manuscripta testantur. Vidi ipsè quarundam Tribunalium Glacij Privilegia Bohemicè à Principibus concepta, & scripta, quæ diligenter à Tribunalium Magistris hodièq. servantur. Nomina locorum Bohemica in Comitatu plurima sunt, ut Lomnic (ubi latomia) Levin, Bistrzice, Hradek, Homole, Dufsnik, Mielnik, &c.

Glacense Chronicon M. S. Michaelis Pragensis.
S. Wenceslai Templum Glacij Bohemicum fuit.

Henricus Silesiæ Dux. Nulla ferè ditio est, quæ toties Dominos mutavit ut Glacium; Districtum Glacensem vocant

Glacium olim multos habuit Dominos.

Manuscripta. A. 1463. primum in Comitatum erectus est, à Casare Friderico III. sed Vladislaus Rex disertissimè A. 1472. 29. Aprilis Prage, donat familia Cundstadianæ, expressè tamen adjicit: eâ lege donari, ut sit Comitatus in perpetuum Bohemiæ incorporatus. Habuit hic Comitatus plures Dominos ex Bohemis, quales fuerunt, Berca

Berca, Pernsteinij, Hardekij &c: & quod mirère A. 1316. Hinko de Duba, dicitur Berka, cujus litteras vidi in Vigilia Epiphania Domini datas, Dominum se Glacensis territorij subscribit. Quod cum Hagecij Chronologia, & de Glacio narrationibus pugnare videtur: ego conciliare partes non potui, feliciores expecto.

Descriptio Statuæ Beatissimæ
Virginis Mariæ in Templo ejusdem
Glacensi, multum ab Arnesto Archiepi-
scopo cultæ & amatæ.

CAPUT V.

Est in Regia Civitate Comitatus Glacensis in Parochiæ Templo (quod ut olim ab Hospitalariis S. Joannis, ita nunc consensu Summorum Pontificum, Cæsarum atq; Ordinis ipsius, Societati JESU traditum, eodem jure omnino regitur) est, inquam, in medio summi Altaris (velut centrum, & princeps Templi illius Imago) lignea quædam *Beatissima DEI Matris* effigies; duarum ulnarum & semis longitudine, sinistra *IESUM* suum, dextrâ sceptrum gestans, amabilis imprimis, plena tamen regis cujusdam, quam toto vultu spirat, dignitatis. Qui totam sacræ hujus Imaginis symmetriam, & sîla, ut sic dicam, omnia, amotis ornamentis curiosius inspexerit, facile mecum sentiet, fatebiturq; Statuam *DEI Matris* in *S. Monte* similitudinem maximam ad hanc Glacensem habere; situs idem est Matris & Pueri, utraq; curvato modicum, adversus pondus infantis, corpore consistit, gemina deniq; sunt omnia, uno tantum dexteræ manûs labore differre videntur: nam Glacensis sceptro tenendo occupatur,

Statua Bea-
tissimæ Virgi-
nis Glaciæ.

patur, hæc, amantium Matrum more, primoribus digitis *IESU* mentum comprimere tentat; *Sanctomontana* junior vultus est, filiam ejus esse diceres, & ad illius exemplum, *Arnesto* ita jubente, sine dubio ab Artifice formata, ut in historia *S. Montis* ostendi. *Glacensis* insuper auro micat, & quâ parte aliquid de corpore carpere oculi possunt, candidissimo lucet colore. In pectore medio lucidissima *Crystallus* imagini ipsi insorta, pyri maximi magnitudine, spectatur; in ea crystallo intus, elegans seraphini, aut Angeli species ex alabastro, aliâve, ipsâ nive candidiore materiâ, alas explicat, rursûmq; in Angeli illius pectore gemmæ duæ apparent, crucis instar decussatæ, viridissimi, vivacissimiq; coloris; in gemmarum medio tractus quidam ruber, seu linea formosissimis maculis sparsa, tandêmq; Crux ex S. Crucis ligno formata, id quod vetustissimis litteris affirmat inscriptio, *lignum Sanctum*, appellans. Magnum olim artis certamen *Prorogenem* inter & *Apellem* exarsit, dum alter alterum tenuitate, & subtilitate linearum superare contendit, ac lineas in lineis tẽrq; quaterq; delicatissimè pingunt, quam tabulam velut nobile artis miraculum diu servavit Antiquitas; idem hoc loco renovatur exemplum, sed ingeniosiore invento, quia non lineæ in lineis, quæ discedunt à se in infinitum, sed corda in cordibus quinquies clauduntur. Credibile est donum hoc ab *Arnesto* Divæ Virginis accessisse, & credent, satis scio, qui ea, quæ deinde adferam, perlegerint. Circùm Statuam *Tabula* quædam est aureis litteris exarata, sed ea, quia ipsam altare, ingreditur, legi non potest; quantum oculis fugientes, & vetustissimas litteras sequi licuit, versiculi sunt ad Divam Virginem, intẽrq; eos ille: *Gaude quòd tui servuli!* In *Sceptro*, quod *DEI* mater gestat, in extremo iterum *Crystallus* absolutæ rotunditatis, & eximiæ pulchritudinis pugilli infantilis magnitudine lucet; Sceptrum oculatum apud *Ægyptios* diceres. Hujus, de qua loquimur, Sanctæ Imaginis, prima ignoratur origo, cæterùm publicè constat, vetustissimam esse, atq; (ut quidam in Antiquitate curiosi argumento aliorum apud nos Templorum non vanè suspicantur) cum Templo ipso *Glacensi* (quod *Beatissima Virginis* in Cælos Assumptæ titulum

Crystallus
mirabilis ab
Arnesto Sta-
tuæ inserta.

Plin. l. 35. hist.
Nat. C. 10.
Certamen de
subtilitate
renovarum.

Versiculi in
Tabula Sta-
tuæ Glacensis

Pierius l. 47.
hieroglyph.

Statuæ hujus
Vetustas.

inlum gerit) cum primùm erigeretur *Altare*, statuta, & Venerationi piorum exposita, adeòq; *hæc est prima, & antiquissima Ecclesia Glacensis Imago*. Ejus Imaginis Effigiem Collegium S. I. Glacense æri incisam, cum Elogio *Arnesti*, & vitæ compendio sparfit in populum, magno pretio operæ, & Pietatis.

1662.

Notæ in Caput III.

TAbula quædam est aureis litteris exarata &c.

Verficuli in
Statua reperi-
ti fortunâ.

Mirari satis non potui, mirorq; etiamnum DEI providentiam suaviter omnia disponentem! scripseram: Tabulam circum Statuam Beatissima Virginis Glacii legere me non potuisse, præter ea verba: Gaude quodd Tui servuli. Sed ecce res mira! Libro præsentis jam descripto, & Censuribus dato, cum in Bibliotheca Societatis IESU Clementina Praga Mariale Arnesti in manus sumpsissem, & nescio quid aliud agerem, repente video in libri Marialis fine carmina quædam apparere, antiquissimo scriptura genere exarata; inspexi propius, inveni inter ea illud: gaude quodd Tui servuli, uno verbo: ea omnia reliqua carmina, quæ aureis litteris picta in Tabula Glacensi legere non poteram, disertè in Mariali descripta. quid agerem? exsili gaudio, divina providentiæ gratias egi, mirificèq; confirmatum me sensi in ea opinione, quæ Arnestum Marialis affirmat authorem. Nullum in hoc vetustissimo Marialis codice manuscripto aliud carmen, nulla sententia, nulla vox, nec in principio, nec in fine libri spectatur, præter ea carmina, quæ circum Statuam B. V. Glacensem ab Arnesto deamatum, hodièq; leguntur, eaq; carmina temere in libri fine, & ipso involucro sine omni titulo descripta fuere. Quæ tandem hæc Statuæ, ac Marialis ab Arnesto scripti conspiratio? mirati etiam amici sunt, quibus istud ostendi. Sunt autem hæc carmina, seu (Voce in Templis usitata) Antiphonæ, quæ sequuntur, tenerrimo affectu amoris, & nobili Inventione, septem Divina Matris in cælo gaudia continentes, quas forsitan Arnestus à se, aliòve authore scriptas, ad limbum Glacensis Statuæ aureis litteris jussit appingi.

Septem

Septem Gaudia in coelos Assumptæ Virginis.

Gaude! Regina Gloriæ, quæ coelos transis hodie, præ agmine
coelestium!

Gaude! quòd Tua facies, cœli illustret acies, ut Mundum Sol ex
radio!

Gaude! cui obediunt, & revereri sitiunt Te Angeli obsequio!

Gaude! quòd tota Trinitas, & velle Tuum unitas, sint unum in
arbitrio!

Gaude! quòd Tui servuli nunc & post finem sæculi, ut vis, fruuntur
præmio!

Gaude! DEO vicinior, secum in posse potior, in summo sedens folio!

Gaude! quòd Sanctos superas, in hoc quòd Christo imperas, ut
potens Mater Filio!

Templum Glacense Beatissimæ Virginis

Templum
Glacense
quem ritu-
lum gerat.

titulum gerit. Graviter hallucinatur Ælurius Glacensis Hi-
storicus, qui Templum hoc S. Joannis Baptistæ honori ab initio condi-
tum persuadere nobis voluit, nescio an non hæresi Lutheranâ, cujus e-
rat Glacii Minister, incitatus, hæc scripserit: nam hæretici, quem-
vis alium, & præcipuè ex Apostolis, honorari malunt, quam DEI
Matrem; hujus unius honores & nomen ipsum hæreticis sordet,

Lucret.

Deniq; amaracinum fugitat sus, & timer omne

Unguentum, nam serigeris subus acre venenum est.

Centum Manuscriptis, ab A. 1200. probare possum, Templum Gla-
cense Beatissimæ Virginis nomen habuisse, atq; ipse Arnestus omni-
bus litteris sic appellat. Fieri tamen errore vulgi potuit, ut S.
Joannis diceretur; nam vulgus rude cum S. Joannis Hospitalarios,
qui Templum tenebant, nominari audiret, appellationem ab Equitibus
ad Templum transtulit, ac præcipuè posteaquam viderant ornari tem-
plum ab ijs, & caput S. Joannis Baptistæ in discò lapide expressum, ante
Templi portam ad spectaculum & venerationem, ut hodie quoq; vide-
mus, collocari.


Ejus



A. Vera Effigies B. V. Glacij in Templo Parochiali S. I. quae ab Ernesto, postea I. Archiepiscopo Pragensi, vultum auertit. B. Ernestus, puer. C. Salve Regina à pueris musicis canitur.

Lucas Georgius Spitha del.

Mathias Küchel Schy.



Ejus Imaginis Effigiem. *Magno semper in cultu & veneratione Piorum hac statua ab omni retrò memoria fuit, ad ejus effigiem ari nuper incisam Glacense Collegium hanc inter alia memorabilem maximè Narrationem apposuit. Anno 1653. obdormivit in Domino R. P. Joannes Warlichius S. I. propè septuagenarius, pius & Divinis rebus addictus Sacerdos, qui viginti amplius annos Oeconomiam Glacensis Collegij solerter administrarat. Is cùm S. P. IGNATIUS sacris Exercitijs animum excoleret, atque in lignea pergula in postrema Templi parte, hanc DEI Matris effigiem identidem spectans, sine arbitris, clausoque Templo omni animi contentione gratiam, nescio cuius rei, à DEI Matre fieri sibi flagitaret, repente statua alta, claraq; Voce, que Templum totum impleret, Ita Ita repetendo, annuere se precibus significavit: terruit primùm ea vox orantem, at cùm misericordiam maternam reputaret animo, mirificà consolatione delinquit. Rem ut gesta erat, ante mortem candidissimus & antiquæ simplicitatis senex, Sacerdoti, Patrique Spirituali suo aperuit, simulq; monuit, nè nisi mortuo se, uellet evulgare. Vivit hodièque superstes Confessarius, exstatque in Archivo Collegij Glacensis de re tota, Sacerdotali fide munita testatio.*

Miraculum novum hujus Status.

Statua Beatissimæ DEI Matris
in Ecclesia Glacensi ab Arnesto
Puerò vultum avertit.

CAPUT VI.

Per id tempus, quo Glacij litteris operam dabat Arnestus, res quædam admiratione sæculi digna accidit cum Puerò, cujus narratio verbis Arnesti concepta

Miraculum spectante Arnesto puero editum in statua B. V. Glacij

D

latine

latine inter manus est, ex Antiquissimis codicibus Treborensi, & Glacensi exscripta, & Mariali libro, cum Typis, *Ferdinando III*, Aug: Memoriae Casare jubente, exprimeretur, praefixa. Est alia vetustissima quoque rei narratio lingua Bohemica descripta, quam ad verbum recitavit *Wenceslaus Hagecius*. Idem Bohemiae historicus aegrotantem, jamque morientem *Arnestum* narrasse adstantibus Miraculi seriem, & scriptum protulisse, atque ut ederetur in vulgus, & publice legeretur in Templis, jussisse, scribit. Quam linguam, an latinam, an Bohemicam *Arnestus* scripserit, a nemine hactenus video dubitatum, omnibus in linguam latinam inclinantibus: Ego comparatis verbis & sententijs omnibus, existimo tute satis dici posse, Bohemicè diu ante ab *Arnesto* conscriptum Miraculum, ab eodem ipso moriente, vel ejus jussu, ab aliquo adstantium conversum in Latinum: nam primum quae in Bohemico leguntur, (ut ex Notis quas subijciam quisque videre potest) longè latinis significantiora, & potentiora sunt; deinde sunt plura, quae interpres, si in Latinis non invenisset, quae audacià addidisset de suo ipsa latinitas phrasin Bohemicae linguae alicubi redolet, atque ad extremum multum ab *Arnesti* stylo, quem in *Statutis* observamus, discrepat: res est incerta, quam in medio relinquo.

In hist. Bohem.
A. 1364.

An latine an
alia lingua
id Miraculum
scripserit Ar-
nestus.

Ex Codicibus M.
S. Bibliothecae
Canon. Regul.
S. Aug. Trebo-
nae, & Glacii &
Crumlovij.

Visio mirabilis VENERABILIS
Patris ARNESTI ab ipso-
met prope Vitæ finem de-
scripta.

Noverint universi praesens scriptum
lecturi, aut audituri, quod ego Arne-
stus

stus, Sanctæ Pragensis Ecclesiæ primus Archi-
Episcopus, inter peccatores precipuus; non in
nocte sed in die, non in privato seu occulto, sed
cum alijs stans manifestè, non amens aut
phantasians, sed sanæ rationis existens, non
dormiens, sed utique vigilans, infra scriptum
miraculum terribile, & mihi amarum val-
de vidi, quod per omnia fuit tale.

Cùm essem in Glatz, frequentans scholas
apud Parochiam, quam regunt Hospitalarij
S. Joannis Jerosolymitani; ibidem unâ die-
rum, (opinor Sabbatho) cùm interessem Ve-
speris, stans inter alios scholares, & pueros
usq; ad finem Vesperarum infra Magnificat,
aut post Vesperas immediate, cùm cantabatur
quædam antiphona, puto Salve Regina, sed
quæ fuit præcisè non recordor: accidit quòd
inspexi imaginem, quæ ibidem erat super al-
tari majori Beatæ MARIÆ semper Virgi-
nis; & statim sine aliqua mora subito, &
celerrimè facies Imaginis Venerabilis Virgi-

Statua B. V.
vultum à Pa-
tro Araclo
avertit.

nis, & Matris DEI MARIÆ, valde indignanter, & iracundè se à me avertit, & vertit ad me posteriora faciei, & partē dorsi. Quo territus valde & immutatus, & factus quasi amens & attonitus valde (quod tamen multum non duravit) redij ad me, aliquantulum horrescens valde, videre illa posteriora faciei, colli & dorsi, quæ videbantur mihi sordida, mucida, & quasi lacerata, quem modum verbis proprie exprimere non possum. Intuens illam, tristis & amarus animo, incepti petere B. Virginem, ut dignaretur mei misereri, & vultum suum ad me convertere. Me sic in tristitia orante, & in angustia imaginem Filij, quem tenebat in sinu, aut brachijs, volente videre, si etiam facies Imaginis IESU Christi se à me avertisset, quam à me aversam non vidi, cecidit mihi ex hoc in cor aliquantis consolatio, & processi in oratione (de qua supra) ad Virginem gloriosam, ut vultum suum ad me

Infanti facies
non averti-
tur.

con-

conuerteret. Cum sic orarem per morulam
competentem, lento modo & aliquantulum
moroso, quasi non bene contenta ad me vul-
tum suum conuertit, in eum statum, sicut vi- B. V. vultum
suum in sta-
tua reddis
Arnelto.

deram ante aversionem, & indignationem.
Quo facto, gratias ipsi Virgini gloriose egi
cursorie. Cum alijs Scholaribus completo
cantu, Scholas intravi, de isto miraculo nulli
dicens, propter timorem verecundia, nè tan- tho si esse
omino illud
videtur
tus peccator apparerem, quia me bonum si-
mulabam extrà, sed intrà in cogitationibus,
& operibus in occulto sceleratissimus ab illa
hora usq; nunc. Tandem ab illius miraculi
visione elapsis aliquot mensibus, recessi de
Glatz in Braunoviam, à Glatz per tria
milliaria distantem, ubi mansi plurimo tem-
pore, non acceptâ licentiâ, nec factâ reveren-
tiâ dictæ imagini S. MARIÆ. Postea iui
Pragam: postea transivi ad aliquot loca stu-
diorum, & demum Curiam Romanam, &
sic ante meam promotionem, & post ordines,
& bene-

Et beneficia Ecclesiastica usq; nunc, non
 curavi ego lascivus Et levis, de miraculo
 tremendo; id satis leviter portans per mul-
 tos annos, licet intrà me sæpius revolvens
 cogitavi, quòd tantum miraculum celari
 sit periculosum, quia fidelibus est magna
 edificatio, Et magnitudinis peccatorum
 meorum clara detectio, Et mei canis fati-
 di digna omnibus hominibus detestatio,
 vobis Et aliis duxi suprà scriptum Et ter-
 ribile miraculum in his scriptis publican-
 dum; Vos per viscera misericordie DEI,
 Et per asperionem sanguinis IESU Chri-
 sti Domini nostri rogans, Et obsecrans
 intercedi pro me ad ipsam Genitricem
 DEI Mariam, per quam in fide Ca-
 tholica sum solidatus, ut avertat indigna-
 tionem suam, Et sui Filij à me, ipso pra-
 stante benedicto in secula seculorum. A-
 men.

M. S. Glacusa
 percelari ha-
 bet.

Mira in Ar-
 nesti animo
 demisso.

Et

Et quia testante scripturâ, DEI opera revelare, & confiteri honorificum est, hortor & rogo suprâ gesta, & hîc scripta, in Ecclesia Pragensi & in omnibus alijs Ecclesijs, conventibus tam Religiosis, quàm secularibus, Clero & Populo, fideliter publicari, ut cognoscant omnes luculenter S. Mariam singularem protectricem, & miseratricem peccatorum in fide titubantium, & in operibus charitatis errantium, & se ejus clementiæ devotius recommendantium. Damus insuper omnibus, qui presens scriptum legerint, audiverint, vel alijs retulerint, quadraginta dies Indulgentiarum. Scriptum per me Arnestum Sanctæ Pragensis Ecclesiæ Archiepiscopum indignum, manibus meis sanguine peccatorum repletis.

Notæ

Notæ in Caput VI.

INter peccatores præcipuus. *Bohemicè est: inter peccatores maximus.*

Non amens. *Hoc in Bohemico abest ex decoro, sed ejus loco (Mnêge) id est: non è sopore evigilans; quasi diceret: non ijs oculis aspexi, quibus solent ij, qui modo è somno evigilant, sed recentibus purgatis, & vivacibus Miraculum sum contuitus.*

Infra Magnificat. *Bohemicè, in medio Psalmi Magnificat.*

Partem dorsi, & posteriora faciei. *Bohem: civilis: dorsum & faciem.*

Immutatus: *In Bohemico additur: immutatus in mente mea, & magno timore prostratus, acsi mihi eo articulo moriendum esset.*

Redij ad me aliqualiter: *Bohemicè additum: reflectens me.*

Posteriora faciei colli & dorsi *Bob. est: averfam partem Imaginis.*

Quem modum verbis exprimere nõ possum: *Bob. quam fæditatem verbis.*

Intuens illam: *Bohemicè: elevans oculos in Cœlum.*

Incepi petere B. Virginem. *Bob. additum: petere à B. Virgine per gratiam Filij sui.*

Vultum suum. *Bob. m. vultum suum sanctum.*

Me sic in tristitia orante & in angustia. *in Manuscripto Crumloviensi additur: respexi Imaginem.*

Volente videre. *Crumlov. cod. volens videre.*

Si etiam facies Imaginis JESU Christi se
à me avertisset: *aliter est in Bohemico, additurq; & vidi*
quòd ad me nonnihil se se (JESUS puer) converterit, ac si me
ejus sancta Majestas respiceret.

Quam à me averfam non vidi. *Crumlov. Co-*
dex. quem à me aversum non vidi.

Cecidit mihi in cor aliqualis consolatio.
Idiotismus Bohemicus, Pádlo mí na sídce potěssent.

Vultum suum ad me converteret. *Bohemicè,*
vultum suum etiam ad me converteret.

Per morulam competentem. *Bohem. longiusculo*
tempore perdurarem.

Quasi non bene contenta ad me vultum
suum convertit. *M. S. Crumlov. quasi non bene conten-*
ta de me, vultum suum ad me convertit.

Moroso, & ante aversionem, & curiosè, &
Scholam intrans, in cogitationibus & operibus
in occulto. *Ha particula in Bohemico sunt omissa.*

Cursoriè. *Crumlov. M. S. gratias curiosè egi.*

Usq; nunc. *Bohemicè, ad hanc usq; ultimam meam*
horam.

Ab illius miraculi. *Bohemicè, additum: terribiliè*
miraculi.

Imagini B. Mariæ Virginis: *Bohemicè: dictæ*
statuæ, & Imagini loco B. Virginis genitricis DEI. *Crumlov.*
M. S. dicta imagini, & S. Maria.

Ad aliquot loca studiorum. *Omissum in Bohemico. Crumlov. M. S. ad aliqua loca.*

Et post ordines & beneficia Ecclesiastica.

Bohemicè est: ante ordines; deinde: post ordines verò incepti cogitare &c. ut sensus sit, ante sacros ordines susceptos hoc miraculum non estimavi, & fui multis annis levis, & dissolutus; post ordines verò sacros & in hac dignitate, capi cogitare relinquendam esse hujus miraculi memoriam.

De miraculo tremendo. *M. S. Crumlov. de tanto miraculo tremendo.*

Licèt intrà me sæpius revolvens. *M. S. Crumlov. hæc intra me sæpius revolvens.*

Magnitudinis Peccatorum meorum, & mei

Canis fætidæ. *In Bohemico omissum est. forsitan nè ignarum, vulgus, ejusmodi humilitate laderetur in animo, populus enim Sanctimoniam vitæ maximam in Presulibus suis reposcit. Sed loco eorum verborum: nè hoc meo silentio DEI indignatio provocaretur. Timens igitur vindictam & poenam à DEO hæc postremâ Vitæ horâ celare vos rem ipsam non potui.*

Et per asperionem. *Boh. additur: fitis memores mei apud DEUM. Ad ipsam: Bohemicè additur: Venerabilem & dignissimam DEI Matrem. Filij sui à me. Additur: peccatore,*

Hortor & rogo. *Bohemicè ad Canonicos additum disertè. Charissimi Fratres mei, & Amici in fide Christi JESU dilecti, Canonici prædicate &c.*

Clero & populo. *Boh. ut clarè & apertè coram omni populo explicent, ut omnis populus fideliter, & verè agnoscat &c. S. Mariam Boh. hanc cultu dignam, & misericordissimam, Virginem Matrem D. N. JESU CHRISTI &c. miseratricem.*

cem peccatorum, orare pro ijs, qui singulari erga eam amore feruntur.

Recommendantium. *Sequitur in Bohemico.* Nos ARNESTUS jam in extremis constitutus, sed ratione sanâ utens, ijs omnibus qui hoc miraculum scribent, narrabunt, aut legi audient, quadraginta dies Indulgentiarum, vi potestatis nostræ, gratiose concedimus.

Archiepiscopum indignum. *Bob. additur.* hominem indignum.

Sanguine peccatorum. *Bohemice,* peccantium repletis.

In Bohemico sic finitur narratio: Gloria & honor Christo DEO, Domino nostro in secula benedicto, & Mariæ Matri ejus purissimæ Virgini & gloriosæ Genitrici filij DEI.

Arnesti Archi-Episcopi ab humilitate, alijsq; maximis Virtutibus defensio.

CAPUT VII.

Non deerunt, sine dubio, si qui fortasse in sanctorum virorum gestis parùm adhuc versati, ignorant quanto studio, & artificio, quantâq; atrocitate verborum, sua ipsi minima vitia detestentur, & explicent: non deerunt, inquam, qui lectâ innocentissimi Præfulis narratione permoti, nescio quæ scelera imputabunt *Arnesto.* Nam

Mira Arnesti humilitas.

quod scelus ab ejus Vita abfuit, quem ipsa misericordiae *Mater*, & pœnitentium amica, suo dignata aspectu non est? nequam, & nullius frugi adolescentem esse oportuit. Jam repetent etiam illud (quod ultro dabit *Arnestus*) manus ejus sanguine peccatorum fuisse plenas; addant si lubet, etiam sceleratissime usq; ad ultimam vita horam vixisse. Nonne quo processuri sint, vident, si velint ea, quæ humiliter scripsit *Arnestus*, tueri? Ego verò ita existimo; ipsam hanc *Beatissima Virginis* aversionem, in *Virgine* pro maximo amoris argumento, in *puero*, pro summæ pietatis indicio, accipi debere; captabat videlicet tam ambitiosè *Arnesti* sui amorem *Virgo Beata*, ut etiam machinas ex miraculis & amans & *Mater* ad amatum *Arnesti* cor occupandum adhiberet. Deinde facilè amantibus fastidium obrepit, sed *amantium ira amoris redintegratio est*, idq; innumeris eorum, qui penitus se se in *Divinæ Matris* amorem insinuaverunt, exemplis probari potest: Quantâ longissimæ iræ significatione, nescio quam *Hermanni* sui negligentiam (ad quem toties veniebat è Cœlo, quem *Iosephum* suum nominabat) *DEI Mater* punivit? quantæ inimicitiae, ut ita dicam, inter eandem, & *Alfonsum Rodriquez*, ob unum curiosum aspectum sunt exorta? redire ad carissimum *Alfonsum* diu noluit, neq; nisi multo ambitu precum, & lacrymarum placata est. Parentes qui in alienis filijs grandia crimina patienter vident, tantùmq; non laudant, in proprijs minima peccata ferre non possunt gravitèr; animadvertunt. Quidam sanctorum virorum levissima errata, quæ nos in communi vita risu excipimus, flagellis casti, morbis cruciati, etiam morte luerunt; multi qui quotidianâ Angelorum sanctorum familiaritate gaudebant, levitate aliquâ admittâ, eorum aspectum in perpetuum amiserunt. *Genus irritabile Vatum*, appellavit *Horatius*; non minùs in amore delicati sunt Cælites, quàm Vates; ut meritò omni ope providendum sit nobis, nè nostris vitijs irasci seriò possint, aut, si ob vitæ conditionem præstare culpam non possumus, ut iræ breves & exorabiles sint, efficere. Nam ut facilè offenduntur, sic miseratione imbecillitatis, vitæq; nostræ, facilè mitigantur. Neq; illa me movet iterata toties ab *Arnesto*

Ob levissima
errata sæpe
sancti viri
plectuntur.

Terent.

Vita Her-
manni.

Vita Alfonfi
Rodriquez.

Arnesto peccatorum confessio & Vita, quam vocat, *sceleratissimam*: nimis fallitur, nec *Sanctorum* virorum mores novit, qui ex eorum verbis argumentum de conscientia facit; quantis clamoribus, & fletibus furtum pomorum, lectionem item *Maronis* de Didone, aliâq; minora *D. Augustinus* prosequitur! Quoties *Ambrosius*, Sanctissimus Antistes, suum Tribunal, ex quo ad Episcopatum sit raptus, inculcat! Similis *Synesius* Episcopus, qui, alicubi ait se *tam malè sibi conscium esse, ut pro se DEVM orare vereatur*. Vide in eam sententiam exempla, & dicta Sanctorum virorum plurima in eorum libris, qui de humilitatis virtute scripserunt. Hanc *Arnesti* nostri innocentiam facilè prudentibus virtutum, & sanctimoniam alienam conscijs probabo. Nam in primis, si sceleribus coopertus per summam vitæ licentiam, in contemptu cæli & terræ agebat *Arnestus*, cur *Diva Virgo* ad brevissimam pueri orationem, quæ per tempus, quo Antiphona *Salve Regina* canebatur, protracta est, illos suos misericordes oculos reddidit? cur in gratiam tam citò redijt? cur iterum amavit? Hæc iræ brevitatis, puerile aliquod erratum, non in vita crimen, taceo enormia delicta *subantis*, ut cum *D. Hieronymo* loquar, *Epicuri*, significat. Expectaret certè *Diva Mater*, dum per scelerum poenitentiam *Arnestus* placare Matrem vellet, & adolescentis probi munus impleret, si irasci ex ea causa voluisset. Adde quòd *IESVS* puer in ira se qui Matrem noluerit, quin *Arnestum* (quod puero in dolore summam attulit voluptatem) blandissimè ultro respiceret ac tueretur. Gratias se *Diva Virgini* dum abiret egisse ipse fatetur *Arnestus*; quid istæ gratiæ, quid in *IESV* pueri aspectu solatia? hos motus animorum, oculi & corda sceleratorum habere non solent, neque ejusmodi Pietatis genere ac dulci affectu tenentur. Deinde ipsâ excusatione ætatis uti licet, & *Arnestum* omni crimine purgare: quid enim magnopere intra Scholarum angustias, vigilantibus pro puero domi & foris Magistris, tantillâ præsertim in ætate perpetrari toties potuit, ut vita ejus *sceleratissima* diceretur? Nam illud quod addit, *manus suas sanguine peccatorum plenas*, ex *D. Bernardo* sumpsit, cui hæc forma lo-

E 3

quen-

Sancti Viti
levissima in-
se peccata ut
sacrilegia
accusant.
*D. August. in
Confession.*
*D. Ambr. l. 2.
de Offic. C. 1.*
Synes. Epist. 47.

*R. P. Nic.
Lancetius S. 1.
in Opusc.
Spir.*
*R. P. Gaspar
Tausch, S. 1.
tr. de Humi-
litate.*
*Rodericus de
Humilitate.*
Probatum
nullum in se
grave scelus
admisisse
puerum *Ar-
nestum.*

*Serm. de Aqua-
dulla, seu de
Nativ. B. V.*

Qui omnia
promittit,
plerumq;
minimum
promittit.
Annibal
Scotus in
Tacitum.

quendi usitata fuit, ac præcipuè cum monet, *per purissimas Mariae manus Christo Filio munera a nobis offerri oportere.* Ad extremum, apud me pro omni argumento est, ipsa nimia sui ab *Arnesto* profecta accusatio, & quædam omnem audaciam superans confessio. Observant *Ethici Politicis*, scriptores, honestam negandi rationem esse, omnia universim, nihil in particulari promittere; nam *singulatim promissis fides magis quam universis astringitur*: idem in rem præsentem transferri potest exemplum. Si *Arnestus* nominasset crimen, aut in ea ætate, sceleratissimum, Lascivum, his & illis vitijs inquinatum, se vixisse diceret, fidem apud aliquos forsitan mereretur; at cum se *inter peccatores præcipuum, in cogitationibus & operibus sceleratissimum ab illa hora usq; ad supremam vitæ suæ horam canem fetidum*, dignum odio mortalium omnium, *sanguine peccatorum manus suas madere* affirmat, quis satis sanus fidem habeat? præsertim cui immortales *Arnesti* virtutes, atq; etiam miracula sunt audita? nunc *Arnestus* qui omnia in se accusavit vitia, nihil accusavit. Humilitas cum contemptum sui sagaciter venatur, quoties modum excedit, fidem amittit. Illa verò maxima accusatio fuit, quòd, *Glacio abiens, reverentiam*, ut loquitur, *sanctæ Imagini non præstiterit.* Enorme sine dubio, & tot lacrymis & clamoribus dignum, atq; etiam in vulgus spargendum piaculum! Nullum hîc ego ingrati animi crimen agnosco; nam postmodum probaturus sum, hanc unam à *Beatissima Virgine* gratiam maximis, & in omne ævum duraturis *Fundationibus* ab *Arnesto* redemptam, ut nihil optari potuerit magis, quàm *Beatissimam Virgineam* sic irasci.

Notæ in Caput VII.

L Evissima errata. *Id optimè ostendit R. P. Nicolaus Lancicius opusculo spiritali 16. de fuga peccatorum venialium, exemplo Moysis, Davidis, Ezechia, aliorumq; sanctorum. Memini*

mini me olim legere S. Elzearium Comitem, ob parvum quoddam delictum, ab ipso Christo Domino dirissimè flagellatum pœnas dedisse.

Vita S. Elze-
rij Comitis
Pragæ edita.

Sanctorum mores. Sanctissima Virgo Teresa, quadam de se aliquando scripsit, qua ignaros permoverunt, ut de innocentissima & DEO plena Virginis integritate cœperint dubitare, quos refellit in ejus vita Didacus Jepsius (maximè lib. 3. C. 1.) citati Authores sententiis & exemplis abundant, ut supervacaneum sit probare.

S. Teref in Vi-
ta sua C. 32.
Humilitas S.
Teresa,

Observant Ethici. Ars hac Aularum est, ut pridem magnus Auslicus Annibal Scotus L. 1. in Tacitum annotavit. Auslici qui omnia omni tempore obsequia promittunt, minùs prestabunt; at qui unum aliquod negotium suscepturos pollicentur, difficiliùs fallunt. Hoc scivit in Aula tropicis educatus Tiberius, qui cùm se in Senatu imparem diceret universa Reip. gerenda, & ab Asinio Gallo urgeretur, quam partem Reip. mandari sibi vellet? elusit: non esse, inquit, decorum pudori suo legere aliquid, aut evitare ex eo, cui in universum excusari mallet; & tamen nihil cupiebat magis quàm imperare. Bonum Histriorem hoc loco Tiberium. Lipsius appellavit in L. 1. Annal. Taciti N. 88.

Tiberii Cæsa-
ris simulatio
detecta,

Quam potissimùm culpam in
ARNESTO suo Divina Mater irato
vultu indicasse & vindicasse
videatur.

CAPUT VIII.

Refert in Græcia sua Pausanias, Her-
culem, cùm aliquando laborum satur, necessariæ quietis
capien-

Pausan. l. 1.
Græcia f. 254
Græcia edita

Indoles The-
sei ad timo-
rem vivida
& expectata.

capiendæ causâ *pellem Leonis*, quâ tegebatur posuisset, eandem pueris *Træzenijs* objecisse; illos viro leone, quem viventem ac spirantem se videre credebant, trepidè in latebras fugisse, unum, ex omnibus *Theseum* septennem, arreptâ de servorum manibus bipenni adversus Leonem, ut putabat, processisse; delectatum, impavidi adolescentis indole *Herculem* laudasse factum, donôq; militariter dato, jam tum *Theseum* in *facium* laborum, & nobilium arumnarum, amicitia immortalis promissâ, recepisse. *The-*

Arnesto

sei vetus & fabulosum exemplum *Virgo Beatissima* in *Arnesto* renovavit, larvam objecit, terrorem ostendit, quid tamen profectum aliud, quàm ut victa *Matrem* deniq; se prodere cogeretur, cum *Arnestus* nihil ad terrorem connivente vultu, acie radijs caelestibus assevetâ, contrâ niteretur, pugnaret, & quæ ardentium animorum vis est, omnia traheret in victoriam. Quo uno facto

Matres exa-
sperant vul-
tus, ut Amor,
qui sequitur,
sit gratior.

Diva Virgo sibi filium *Arnestum* potuit approbare. Matrum artes istæ sunt: torvis vultibus iram ante natos fingere, abitum, & fugam parare, simulare mortem, ut, quid acturi sint amantes filij, intelligant, & ex illa facta affectuum tempestate, & cœli hyeme, gratior amoris usus & serenitas osculorum sequatur. Sed & Amicitia brevibus & raris offensis firmantur, atq; ut ossa viventium fracta, si coalescant, nunquam, aut ægerrimè eo in loco postea frangi posse affirmant medici; sic quodammodo in amore contingit. Cavetur enim maximè, nè culpam admittamus, quâ semel amici animum læsum esse meminimus: novum igitur amicitia vinculum adjungitur, cum ab offensa ad amandum reditur.

Amicitia va-
rietate alti-
quâ condiri,
& recreari
debet.

Quæ culpa in
Arnesto ha-
sisse videat-
ur.

Culpam tamen aliquam indicatam à *DEI Matre* irato vulu, negare non possumus; levem fuisse probavi. Mihi omnia *Arnesti* dicta sedulo examinanti, illud, ut in re incerta, maximè videtur probabile: suspicor ego cogitationem aliquam à malo Dæmone puero injectam, quæ fidem & Religionem nostram, ac præcipuè sacrarum Imaginum cultum oppugnaret: eam cogitationem *Puer* non satis viriliter à se protinus rejecerit & profligavit. Hinc illa lacryma! Ejus rei non inane argumentum *Arnestus* ipse præbuit, cum in Narratione sua obsecrat, *intercedi pro se ad ipsam*

Arnestus
Puer in cultu
sacrarum
Imaginû ti-
sue bavit non
nihil.

DEI

DEI Genitricem Mariam, per quam in fide Catholica sit solidatus. Nota extrema verba, & facile suspicari poteris aliquam fidei imbecillitatem præcessisse. Idem, cum narrationem claudit, repetit his ipsis verbis: *ut cognoscant omnes luculenter S. Mariam singularem protecltricem & miseratricem esse peccatorum in fide titubantium, & in operibus Charitatis errantium, & se ejus clementia devotius recommendantium.* Pretiosam igitur *Arnesti* animam DEO fuisse necesse est, cujus negligentiam vel miraculo castigare voluerit, quod certè miraculum (ut habet Bohemica vetulissima narratio) penè ad mortis angustias puerilem animum adduxit. Magneti, si ferreà perforetur virgà, in infinitum propè vires addi scribunt, idq; se experientià didicisse nobilis sacrarum litterarum interpres *Alcazar* gloriatur; idemq; de cuneo, per medium amygdalarum aut punici mali adacto, tradit *D. Basilius*, protinus enim fructum dulcescere, ac maturari. Cuneum hunc ferri, fulminis & terroris in pectus amantis *Arnesti* tam potenter *Virgo Mater* adegit, ut protinus velut *magnes* invalesceret, & additâ virtute innumeros ad amandam *DEI Matrem*, libris dulcissimo affectu plenis, attraheret: nam quis tam ferreus, ut teneat se? lectòq; de laudibus *Virginis Ven. Arnesti* Libro ad amorem non provocetur? Scio plurimorum exempla, interq; illos censetur *R. P. Eusebius Nierembergius* S. I. vir in Hispania sanctimonix, doctrinæq; famâ clarissimus, qui se *Arnesti* lectione mirificè ad Amorem *Divinæ Matris* excitari solitum, dum viveret, fatebatur. Imaginem gementis *Arnesti* adjeci hoc loco (est enim illustre miraculum Pietatis) inseruiq; orationem quæ tum canebatur: *Advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte.* Hoc scilicet præcabatur *Arnestus*, hunc versiculum animo, ac fortè etiam voce, repetebat. Gratissimum *DEI Matri* hoc carmen esse, *Gertrudis* *Virgo Sanctissima*, & cælestibus responsis illustris docuit: *Cum B. Virginem Mariam*, inquit, per verba illa: *Eja ergo advocata nostra, invocaret* (*Gertrudis*) videbatur ipsa mater inclyta, velut funibus quibusdâ tracta, inclinari ad eam. Per quod intellexit, quòd quoties aliquis ipsam suam advocatam, cum devotione nominando, invocat, per hoc

Magnes debilis quâ ratione excitari possit.

Alcazar S. I. in C. 2. *Apocalyps.* P. 4. v.

27.

D. Basl. hom. 5. in *Gen.*

Franc. Georg. in *Problem.* in

Genes. probl. 6.

Feyer. in Virid.

dar. Philos.

Amor. ex periculo

remittendi in-

valescit.

Arnesti *Mari-*

ale commē-

dat *R. P. Nie-*

rembergius.

In Dissertat. E-

pistolici. Epist.

13. qua est tota

de Arnesto.

Advocatz ri-

tulus B. Vir-

gini gratissimus.

S. Gertrudi l.

4. Insnuat div.

Piet. C. 13.

Aspectus B.
Virginis
causa spiri-
tuali Vita.
C. 101. Psalterii
B. V.

nomen materna Pietas ejus in tantum commovetur, quod nullatenus se
valet cohibere, quin benignis ejus precibus acclinetur. Habes S. Virgi-
nis doctrinam Arnesti exemplo probatam. Huc ipse in quodam
loco *Marialis* libri *VEN. Arnestus* respexisse videtur (et si occul-
tius, quippe eum librum dissimulato suo nomine vulgavit) si aspe-
ctus reguli, sive basilisci, tantam habet virtutem malitia, ut interficiat
hominem, cur non dicam Beatissima Virginis oculos tanta esse virtu-
tis, & gratia, ut suo aspectu vivificet animam, vel ad vitam resusci-
tet hominem? ideo toties nos miseri & exules ad ipsam suspiramus
gementes & flentes, atq; dicentes: Eja ergo advocata nostra illos tuos
miseri cordes oculos ad nos converte! Hæc Arnestus.

Notæ in Caput VIII.

Placet oblectandi Lectoris gratiâ, ut alias à me factum memi-
ni, hæc Arnesti *Lacrymas* carmine imitari. Si quis hoc stu-
diorum genere non magnopere tenetur, vertat pagellam.

Lacrymæ Arnesti pueri, cum
ab eo vultum Imago Beatissimæ Virgi-
nis Glacii averteret, *JESULO* ridente,
& vultum ab *Ernesto* puero nu-
squam avertente.

Judicis vul-
tus reo terri-
bilis.

Quid merui Aquo, non auditus, crimine damnor?
Ah dubium quali plectitur ore scelus!
Cum damnat nocuos, torvum Censura tuctur,
Et pæna partem lumina torva gerunt;

Tu fugis aspectum Mater? si bella movebis,
 Bella move, & vultu da mala signa tuo!
 Cum se fatalem rapit horridus hostis in hostem,
 Certa, quâ figit vulnera parte, videt;
 Si tibi Parrhorum solium Fortuna dedisset,
 Excusabilibus conspicerere modis:
 Mittunt terribiles fugientia spicula Parthi,
 Cùmq; fugit Parthus, posthuma tela volant.
 Quam tamen aspectas illic? quò lumina flectis?
 Rivalis nemo, quem tuearis, ibi est.
 CHRISTUS in hanc partem mecum est. irasceris illi?
 Quid meruit talis, quem tenet ulna, puer?
 Ille petit Matrem, Tu lumina vertis ab illo;
 Communis mecum, JESULE, culpa tibi est!
 Accuso iratam, JESU, bone parvule, Matrem:
 Cur inimica mihi, cur tibi torva venit?
 Non ego vos (Matrem & Natum) committere tento,
 (Nam concors pomum dextera vestra gerit)
 Sed tamen est odijs aliquis locus; hic quoq; vultus
 Non minimum fœda suspicionis habet:
 Mater ad hibernos convertitur ore Triones,
 (Ah nimium est Ventis pervius ille locus!)
 Australes Natus faciem convertit ad oras,
 His cubat, his sponsus pascua servat agris;
 Arridet Natus, vultuq; tuetur amico;
 Ast odit, vel me nescit amare Parens.
 Diversa aspicitis, diversum nunquid amatis?
 Sic si discordent lumina, cujus ero?
 Commutate vices, & amicos reddite vultus!
 Anxia Tu Mater, sed meus iste puer!
 Astra licet portet, vultus tamen erigit Aclas,
 Et mutat fessum præ gravitate caput.
 O Regina tuos miseris advertere vultus,
 Ipsa velis nato mitior esse tuo!

Parthi a-
versi tela
mittunt.

IESVS puer
ab Arnesto
se non aver-
sit.

ubi pascua
ubi cubat in
meridie.

Ah pudeat vinci! vincit puer ecce parentem,
 Et blando risu jam meus esse cupit.
 Si sapis, ah ride puer optatissime, ride!
 Aspectu mea spes stãtq; , caditq; tuo!
 Cum bonus arrides fit luce serenior aër,
 Et nitet innubis, sole favente, Dies.
 Redde puer Matrem! cur me, & puerilia vitas
 Crimina? simplicitas crimine nostra caret.
 Quid video? placata Parens mihi lumina reddit,
 O Mater! rursus me mea Mater amat!
 Gaude Erneste, tuis se reddit amoribus illa,
 Aureus ô Salve cum Genitrice Puer!

Ernesto puë-
 ro post pre-
 ces reddit se
 Beatissima
 Virgo.

Arnesti Archiepiscopi in hanc
 Divæ Virginis statuam constans per o-
 mnem Vitam Amor, & honores ei
 Imagini, æternis censibus attri-
 butis, fundati.

CAPUT IX.

Vidimus antè, quantis exaggerationibus, quantòq; delectu
 verborum ingratum animum suum apud posteros accu-
 sãrit *Arnestus*, isq; ut se reum & supplicij omnibus di-
 gnum rudibus persvaderet (quæ humilitas sancti viri fuit)
usq; ad ultimam vitæ horam sceleratissimum fuisse, & ingratum se,
 mori clamabat. Ego verò velut ex formula agam, ostendãmq;

auto

antographis, manu & anulo *Arnesti* munitis, optime beneficijs respondisse; ut *Divam Virginem* miraculi pœnitere nunquam possit; cujus probationis facultatem *Archivum Glacense* mihi præbuit. In primis *Templum* Beatissimæ Virginis *Glacense* magnificè ædificationibus *Arnestus* ornavit: longius etiam *Templum* produxisse videtur; argumento sunt, ex illius sæculi more, depicta & expressa canento ejus Insignia, quæ, in ultima *Templi* parte, sub *Choro* visuntur. Deinde *Reliquijs Sanctorum* locupletavit altaria; præcipuè ipsam *D. Virginis* statuam monilibus, & divitijs muliebribus auxit: *Sceptro* Virginis, & pectori ex lucidissima & prorsus virgineâ *Crystallo bullâ* affixit, quæ *ligni S. Crucis* particulâ continet, defractâ ex illa majore, quam à *Cesare Carolo*, pro *Ecclesia Pragensi* dono quondam acceperat, ut *Caroli* literæ ea de re confectæ testantur, *Arnesto Archiepiscopo & Principi* inscriptæ. Ad hæc æternam *Arnestus* attribuit pensionem, ex qua *Sacerdos* aleretur, *Sacro* quotidie, ante hanc *Imaginem*, de *Beata Virgine* faciendo, symphoniâ accinentibus; utq; adderetur pro coronide ipsa illa antiphona *Salve Regina*, quæ cum caneretur, *Diva Virgo* vultum averterat; præstatur id hodièq; summâ diligentia, ac præcipuè *Sabbatho* post *Vesperas*, qui dies ac tempus memoriam miraculi refert. Neq; his contentus gratissimus *Antistes*, *Templo* pulcherrimo *Beatissimæ Virginis* honori exstructo, & *Cœnobio* *Canonicis S. Augustini* fundato, opulentèq; dotato, timens nè *Pietate* *religiosi Ordinis* *Canonicorum* invitati *Cives*, per eam causam, *Templum* inferius *Beatissimæ Virginis* desererent, solitâq; per eorum absentiam, *Offertoria*, ut vocant, minuerentur, singulari liberalitate pagum quendam *Templo* inferiori assignavit, unde *stato* *Census* quotannis *Templum* perciperet. Sed quid majora querimus gratæ in *Arnesto* voluntatis argumenta? huic *Diva Virgini* seipsum moriens donavit, & ultimâ voluntate in hoc *Templo* ante eam *Imaginem* condi voluit, institutâ rursus facis perpetuæ fundatione, quæ sex ceræ libris constans, ad tumultum quotidie, dum sacra canuntur, accenditur, & honori *Virginis* ardet. Hoc cene est, ô *Arneste Prasul optime*, ingratum, ut scripseras, mori?

I.
Templum
Glacense
amplificat
Arnestus

II.
Reliquijs
Sanctorum
Templum
dicat.

III.
Sacerdotio
fundato
Templum
exornat.

IV.
Aliud Glacij
Templum
à fundamen-
tis excitat.

V.
Moriens Glacij
se de-
voti jubet.

Ubi illa sunt? & sic ante promotionem, & post ordines, & beneficia Ecclesiastica usq; nunc non curavi ego lascivus & levis de miraculo tremendo, id leviter portans &c. Quò recidit tantà verborum, ut ita dicam, barbarie, & horrore concepta tui sceleris, silentii & animi in DEI matrem ingratiissimi, accusatio? An id leve est, quod æternum? Scilicet illudere sæculis voluisti humilitate, nunc proditus, è latebris laudatione in lucem & gloriam protraheris! recitabo autographum, testésq; ex antiquitate incorruptos producam.

Notæ in Caput IX.

Archiv. Gla.
ense N. 1. 112.
Commenda.

Missâ de B. Virgine, & Antiphona Salve Regina ante statuam ejusdem Virginis quotidie canenda, in templo Glacensi fundatur.

IN nomine Domini Amen. Quoniam *I*ea, quæ ad cultum divini Numinis, & animarum salutem salubriter disponuntur, decet piæ promotionis studio favorabiliter adjuvari; eapropter Nos Frater Jacobus Commendator, & Conventus Cruciferorum

rorum in Glatz, Ordinis Sancti Joannis Hierosolymitani, notum facimus tenore presentium universis, quatenus Reverendus in Christo Pater, & Dominus Generosus Dominus Arnestus sancte Pragensis Ecclesie Archiepiscopus, prudenter advertens, quod nil morte sit certius, & nihil incertius hora mortis, horaq; & diem peregrinationis sue extreme in maturitate cupiens pijs operibus prevenire, in divini cultus augmentum, ad gloriam & honorem DEI omnipotentis, & intemeratae Virginis Matris ejus Mariae, Missam de ipsa Virgine gloriosa in Ecclesia nostra Parochiali in Glatz sue Pragensis diocesis, ad quam habuit hactenus, & habet devotionis gratiam singularem, per unum Presbyterum ex Fratribus nostris, & quatuor Clericos seculares perpetue in ejusdem Ecclesiae nostrae choro, coram summo altari, in honore ipsius gloriosissimae Mariae semper Virginis dedicato, constituit,

ordi-

Nota

48 DE VITA VENERABILIS ARNESTI LIB. I.
ordinavit, & disposuit, sub nota diebus sin-
gulis decantandam. Solerti cogitatione
præmeditans, quòd spiritualia sine admini-
stratione temporalium vix subsistant. Ideo
Ecclesie Parochiali prædictæ nobis & do-
mni nostræ in Glacze, villam suam & fra-
trum suorum hereditariam, utpote Domini
Bobussii Lithomericensis Præpositi, Do-
mini Smilonis & V Vilhelmi, de Por-
dubicz, & de eorundem Fratrum suo-
rum expresso consensu, dictam Lhotam
Mutensis districtus cum omnibus cen-
sibus, redditibus, proventibus, honoribus, a-
gris cultis, & incultis, pratis, pascuis, molen-
dinis, aquis, aquarumve decursibus, piscatio-
nibus, piscatoribus, hortis, pomeriis, monti-
bus, vallibus, & ceteris pertinentijs suis, qui-
buscunq; nominibus appellentur, prout etiam
eadem villa in suis Gadibus, metis, greniciis,
& limitibus est circumferentialiter situata,
cum omni jure proprietatis, utilis & directi
Domi-

Pagus Lhota
ad Muram in
Bohemia.

dominij, sicut ipse eandē villam hactenus habuerunt, dedit, donavit, tradidit, deputavit, contulit, & liberaliter resignavit. Renunciāns expresse pro se & Fratribus suis prædictis, & ipsorum successoribus universis, omni juris auxilio, impetitioni, arrestationi, occupationi, quod ipsis in dicta villa competebat hucusq; & competere posset quomodolibet in futurum, sub modis, pactis, oneribus & conditionibus infra scriptis per nos, & nostros successores firmiter perpetuè observandis. Primò videlicet, quòd nos deinceps in perpetuum unum fratrem nostri ordinis presbyterum tenere, & habere in nostro Conventu Glacensi, ultra nostrum consuetum numerum teneamur, pro cuius sustentatione nobis, & Conventui nostro prædicto, in dicta villa Lhota, quinque sexagenas grossorum usuatium deputavit. Etiam quòd nos debeamus, aut qui pro tempore ibi fuerit Commendator, aut vices Commendatoris

G

datoris

Sacerdos unus ex fundatione Arnesti ali debuit.

Item quatuor Clerici.

datoris gerens ordinare debeat, quatuor Clericos, ad Sacerdotium idoneos & habiles, vel etiam Sacerdotes, qui cum Fratре predicto Missam Beatissimæ Virginis Mariæ, scilicet Sancta Parens, aut aliam tempori competentem, quotidie in aurora, in altari predicto, & antiphona Salve Regina precedente, predicto Fratре, vel alio ipsam antiphonam inchoante, ante Missæ inceptionem, & post Completorium similiter decantabunt, & decantare devotius tenebuntur, excluso die Parasceves, in qua ob Dominicæ reverentiam Passionis, à Christi fidelibus deplangenda, à dicta Missa B. Virginis, cujus animam illo die de filij sui morte crudeli doloris gladius pertransiit, abstinebunt. Pro quorum sustentatione Clericorum Vobis in dicta Villa Lhota, VIII. Sexagenas V. grosos & IV. parvos denarios dinoscitur deputasse. Sic quòd Commendator, qui pro tempore fuit ibi, aut vices ipsius gerens dictorum

rum

Missæ de B. V. quotidie canenda per annum uno die excepto.

C. IX. ARNESTI IN B.V. MARIÆ EFFIGIEM AMOR. 51
rum cuilibet Clericorum presenti in Missa
prædicta IIII. parvos denarios erogare tene-
bitur, & debet. Quos quidem Clericos ipse
Cōmendator ordinabit, instituet & destitu-
et, alios idoneos assumendo, quando & quoties
sibi videbitur expedire. Insuper addidit præ-
fatus Dominus noster, Dominus Archiepi-
scopus, & disposuit salubriter ordinando,
quod Eo nutu divino universæ carnis viam
ingressõ, suæ depositionis anniversarium cum
novem lectionum vigilijs & Missâ defun-
ctorum, tertiâ die post festum quodlibet Bea-
tissimæ Virginis MARIÆ, nisi aliud festum
impediat, tunc sequenti die, quâ fieri potest,
per nos & Fratres nostros Glacenses devotius
ac decentius peragatur, pro quo nobis & no-
stris fratribus prædictis, in dicta Villa Lho-
ta, pro die qualibet mediam sexagenã gros-
sorum prædictorũ pro pietancia deputavit.

Anniver-
sarij Depo-
sitionis dies
Arnesti cele-
brabitur.

Præterea quinque sexagenas, minus V.
grossis & IIII. denarijs, occasione Erektionis
Monasterij Montis Sanctæ Mariæ Canoni-

Providentia
Arnesti cum
liberalitate
conjuncta.

corum Regularium in Glacz, in satisfactio-
nem pro damnis quæ in offertorio & alijs
Obligijs quibuscunq; habere possemus nunc,
aut quomodolibet in futurum, præfate Ec-
clesiæ nostræ, nobis & Domui nostræ libera-
liter assignavit, in dicta villa Lhota, prout
etiam hoc idem in sua pronuntiationis seu ar-
bitrij littera clariùs continetur expressum.
Residuam verò partem Censûs in eadem vil-
la, qui se ad VIII. sexagenas extendit, suæ
dispositioni, quamdiu vixit, reservavit, sed
post ejus mortem, Nobis Fratri Jacobo præ-
dicto, dispositionem dictarum octo sexagena-
rum commisit, quia nos vivâ voce, quid cum
ipsis fieri debeat, informavit distinctè; si
autem nos priùs quàm ipse, volente Domino,
moreremur, tunc ipse Dominus noster Archi-
episcopus præfatus, pro dispositione dicta-
rum octo sexagenarum poterit alium, quem-
cunque voluerit, subrogare. Nobis autem
ambobus decedentibus, Commendator suc-
cessor

cessor noster, qui pro tempore fuerit, ut onera
 explenda fideliter superius expressata eò di-
 ligentiùs promoveat, nec nõ expensas domùs
 cõmodiùs supportare valeat, de dictis VIII.
 sexagenis duas annis singulis retinebit Fratri-
 bus Conventùs nostri, qui cõmemorationem
 omnium fidelium defunctorum tertiã, vel
 quartã die post quaelibet quatuor tempora
 facere tenebuntur; duas sexagenas, de di-
 ctis sex residuis, qualibet die mediam pro pie-
 tantia reservatis. Quas quidem duas se-
 xagenas, cum quatuor adhuc residuis dicti
 Censùs, in villa præscripta pietantiarius
 Glacensis, qui pro tempore fuerit, à Commen-
 datore, aut in dictæ ville censibus in suam re-
 cipiet potestatem, factururus de eisdem IV. se-
 xagenis in qualibet die octava festorum Bea-
 tißmæ Virginis Mariæ Assumptionis, Nati-
 vitatis, Conceptionis, Purificationis, An-
 nuntiationis, & in festo S. Joannis ante por-
 tam Latinam, in octava Sancti Joannis Bap-
 tistæ, die Sanctæ Mariæ Magdalena, die

Pietanciz in.
 Aituz.

Sancti Jacobi Majoris, & Sancti Egidij,
 Fratribus nostris ibidem pietancias congruas,
 prout sibi convenientius videbitur expedire.
 Nos igitur universa, & singula superius e-
 narrata, que idem Dominus noster Dominus
 Archiepiscopus non improvide disposuit, &
 salubrius ordinavit, in omnibus suis clausu-
 lis, punctis & articulis, de verbo ad verbum,
 prout scripta sunt superius, & in suis etiam
 literis clarius exprimuntur grata habentes
 & rata, per omnia promittimus in violabi-
 liter observare, & implere fideliter cum ef-
 fectu, sub pœnis in ipsius Domini Archiepis-
 copi literis contentis, quibus nos, & nostros
 successores, non obstante nostræ exceptionis
 privilegio, vel quacunque gratiâ aliâ impe-
 tratâ, vel etiam impetrandâ, benevolè sub-
 mittimus per presentes scilicet. Quod si
 in præmissis, vel aliquo præmissorum, fieret
 successu temporis negligentia qualiscunque
 quod Commendator & Fratres, qui ibi pro
 tem

Nota,

Pœnz statu-
 tz in eos qui
 Arnesti fun-
 dationē im-
 plere recusa-
 rent.

tempore fuerint, pro prima vice pœnam unus ferionis incurrant, & similiter secundâ vice, & tertiâ similiter; quam pœnam ipsi Judici, & juratis pro tempore existentibus promittere, & solvere tenebuntur inter pauperes, in ipsorum hospitali in Glacz, degentes, per ipsos Juratos fideliter, & totaliter dividendam. Quartâ verò vice, si in præmissis, & eorum aliqua negligentia committetur, quod absit, ipso facto Commendator, et Fratres Conventûs ibidem ab ingressu Ecclesie sint suspensi. Et si pertinaciter, quod non credimus fieri, præmissa, vel aliquod præmissorum non implerentur, infra mensem ex tunc Ecclesia nostra Parochialis in Glacz sit supposita Ecclesiastico interdicto, tam diu donec neglecta in statum pristinum, & debitum reformentur, nisi talis casus fortuitus eveniret, quod DEVS avertat, qui negligentiam hujusmodi rationabiliter excusaret. Ceterum si nos præmissa, vel ali-

qua

qua premissorum adimplere minimè curaremus, aut nostri successores implere non curarent, et de negligentia huiusmodi legitime convicti fuerimus, vel nostri fuerint successores, ex tunc sine contradictione, et excusatione qualibet, presentium, villa cum omnibus suis redditibus & censibus, et pertinentijs ad mensam Archiepiscopalem, et Ecclesiam Cathedralem Pragensem liberè devolvatur. In quorum omnium testimonium, et robur perpetuo valiturum, presentes litteras fieri volumus, sigilli nostri appensione consignatas. Datum in Glacz Anno Domini Millesimo CCC. LII. die VIII. Mensis Januarij.

Nos verò Frater Gallus Prior Domorum Ordinis Sancti Joannis Ierosolymitani & c. prefatam dispositionem salubrem, in omnibus suis modis, factis, oneribus, conditionibus, clausulis, pœnarum obligatione, & sen-

Et sententijs, ut præmittitur, quæ de nostra
 certa scientia, Et mandato speciali per præ-
 dictum Fratrem Iacobum Commendatorem,
 Et Conventum in Glacz, dinoscitur esse fa-
 cta, gratas habentes Et ratas, Ipsas auctori-
 tate, quâ fungimur, approbamus, auctori-
 zamus, Et virtute presentium confirma-
 mus, mandantes auctoritate prædictâ, Com-
 mendatori, Et Fratribus, qui sunt, vel pro
 tempore in Glacz fuerint, in virtute sanctæ
 obedientiæ, Et sub pœnis gravioribus, quas
 Ordo noster inobedientibus infligere, et in-
 ferre consuevit, quatenus universa, et singu-
 la præmissa, et eorum quodlibet teneant, ad-
 impleant, et fideliter exequantur, in testi-
 monium omnium præmissorum sigillum no-
 strum presentibus appendentes.

Sigillum Fratris Galli: est effigies
 Divi Joannis Baptistæ cum Crucibus
 Melitensibus.

H

Alte-

Alterum sigillum: Diva Virgo Annunciata, Conventus Canoniorum Regularium S. Augustini B. Virginis in monte, tanquam testium.

Tertium: Caput S. Joannis Baptistæ in disco. circum id litteræ: *Sigillum Fratrum Rhodiorum militum Crucigerorum in Glotz.*

Arnestus Glacio Braunoviam, tum Pragam, deinde Bononiam ac Paduam ad altiora Sapientiæ studia discedit, mirosq; in Scientijs facit progressus.

CAPUT X.

Eunapius in
Maximo.

Jam Arnestus Naturæ bonitate, ac præstantiâ, sed potissimum *Divæ Virginis* tutelâ (à qua velut à sidere suo in minimis perinde, maximisq; pendeat, & regebatur) *per cubitos*, ut dicitur, crescebat in litteris. Advertit ea res *Arnesti* parentes, cumq; filium suum, jam parvum quendam Præsulem, & Episcopum gravitate morum, & pietate viderent, mirabilem puerum, & in-

& ingenium vix in summo virtutis & scientiæ, nedum in mediocri gradu quieturum, omnibus opibus adjuvare statuerunt. Longè sine dubio distabant à sæculi nostri moribus, in quo nobilissimos liberum rei uxoriæ, ignavos ingenio, studijs addici videmus, duplici Parentum damno: *Pecunia, & gloria*; cum istorum inertia & ineptia nullis honoribus par, in infimo semper hære, cum dedecore parentum cogatur. Quod si tamen per favorem Nobilitatis enitantur, & gratiæ aliquis sit locus, quâ cum familiæ dignitate putabimus gradum tenebunt, quâ dote honorem tuebuntur? Ergo cum jam nihil *Arnesto* Glacij descendum restaret, *Braunovium*, quâ in Civitate ludum litterarium RR. Patres. è S. *Benedicti* disciplina habebant, mittitur. Gratulavi certè scholis illis (quæ me quoq; puerum habuerunt) oportet, tali, ac tanto Præsule inter discipulos numerato. *Braunovij* scientijs omnibus, quæ tradebantur, exhaustis, *Arnestus* cum *Bohuslao* fratre, (qui etiam ipse ad sacerdotalem vitam aspirabat) *Pragam* (ubi bonæ literæ diligenter docebantur) atque inde omnibus ad profectio-nem comparatis in Italiam ablegatur. *Bononia* primum *Mater studiorum*, florentissima numero, & Magistrorum ingenijs, eâ tempestate Universitas venientes accepit. Satis certum est, decem & plura millia Academicæ Juventutis id temporis numerari plerumq; solita, qui sub Magistris cum alias scientias, tum præcipuè *Jus Civile, & Canonicum* (quæ prima temporibus illis gloria) explicari audiebant. *Philosophiam, Theologiam*, ac deinde *Jus Canonicum* ipsis quatuordecim annis partim *Bononia*, ut dixi, partim *Padua*, amplissimo in studio, diligenter audivit *Arnestus*; sed *Bohuslao* fratri mitiores scientiæ placuerunt, eosq; in Rhetoricis fecit progressus, ut inter Clarissimos sui temporis Oratores numeraretur; altiora nimirum confectabatur *Arnestus*, Theologiam ac Philosophiam. *Chimiam* etiam & nonnullam *Medicina* partem curiositate humani ingenij attigisse, libri editi testantur; *Juris Canonici* cognoscendi cupiditate flagrabat maxime, omnemq; in eo studio diu noctuq; operam collocabat. Alebat hos nobilissimi Juvenis igniculos *Magister* (sæculi sui Lumen, & *Juris-*

H 2;

Consul.

Ingenijs op-
timis malè uti-
timur his sæ-
culis.

Braunoviz
apud RR. PP.
S. Benedicti
rudet Ar-
nestus.

Pragæ studia
litterarum
pridem flore-
bant, ut ha-
bet Clemens
Pontifex in
confirm: V-
niversitatis
Carolinæ.

Draudius in
C. 9. Solini de
Bononia.

Bononiæ &
Paduæ litte-
ris operam
dedit Arne-
stus.

Joan. Andre
I. C. clarissi-
mus Arnesti
Professor.

Consultorum Princeps) *Ioannes Andreas*, cuius viri laudes verif-
 simas qui nôsse cupit, libros Juris-Consultorum adeat; his ille
 utramq; sæpe paginam facit. Vide quæ in ejus laudem viri clarissi-
 mi scripserunt. Neq; Magistris modò benevolis, sed etiam (ut
 communia studia, quæq; unâ disciplinâ continentur, maximum
 ad conciliandas amicitias adferre solent momentum) doctissimis
 quibusq; in Italia viris familiariter *Arnestus* est usus, floruitque
 amicitijs Italarum, ex quibus *Bartolum* præcipuè dilexit, autòq;
 postea *Carolo Cæsari* fuit, ut in Bohemiam hominem accerferet.
 Venit *Bartolus*, Leges Bohemicas, quibus Majores nostri uteban-
 tur, redegit in ordinem; quædam meliora fecit, quædam abole-
 vit, atque in præmium navatæ operæ, *Arnesto* agente, in Regni
 publicis Comitijs *Bohemia Civis* publicè nominatus est, actæ ei-
 dem gratiæ; aucta stipendia, relatúmque honorificis verbis: *Bartolo*
ob tanta in Remp: merita Leonem Bohemia candidum, in campo aureo
stantem, in clypeum donari; quæ nobilitas publicè data, summam
Bartolo gloriam apud suos, & alienos (nec immeritò) compara-
 vit, quasi Regnum Universum (& verum erat) ad unum homi-
 nem ornandum conspirâset. Usitatum ijs seculis fuit, non unius
 Universitatis limitibus & cancellis circumscribere sese, & conti-
 nere doctrinam, sed ut quisque valebat ingenio, ad alias Univer-
 sitates proficiscebatur, licebátque (factò priùs in singulis doctrinæ
 periculo) ad gradus eniti, aucupari Magistrorum consensum pro-
 batione doctrinæ, meritisque approbatis eandem lauream & ho-
 nores repetere; idque in antiquis Magistrorum titulis legimus,
 qui se multarum Universitatum Doctores, Bononiensis, Paduanæ,
 Cracoviensis, Pragensis, &c. gloriosè solent subscribere, quod
 postea, ut Academiæ omnium edictis abrogaretur, lites exin-
 de ortæ, & quorundam levitas, & volatici per Academiæ cursus
 effecerunt. Hoc exemplo *Arnestus* cùm quatuordecim Annos,
 ut dixi, *Bononia & Padua* litteris operam navâset, in utraque
 Nobili Universitate Licentiatus, ut vocant, honorem, ferreo Exa-
 mine præmissò, sententijs omnium delatum accepit, tantaque
 postea ingenij, Scientiarum, ac Pietatis commendatione in Italia
 vixit,

Beñarm. Casal.
scrip. Ecclesi.
in Ioan. Andr.
Richardus in
Vitu Iuricon-
sultorum.

Bartolus Ar-
nesto para-
micus.

Ciczinsky in
Program. A-
cadem. Prag.

Iovius in vita
Bartoli.

Papir. Masse-
nus. Lupacius
12. Julij. in
Calende histor.

Bartolus Bo-
hemie Civis.

Paulus Zidek
in M. S. Codic-
is ad Regem
Georgium, &c.

Arnestus pri-
mus in Iure
gradum ob-
tinet.

vixit, ut etiam ad Curiam Romanam doctrinæ ejus, & ingenij fama pervolaret. Magistrorum laudatio, ut reor, id fecit, ac præcipuè *Ioannis Andrea*, qui *Ioanni XXII.* Pontifici carissimus, omnia apud eum poterat. Quanquam ut hæc adessent omnia, quæ de ejus scientia postea adferemus, librique editi, atque inter alia *Statuta Pragensis Ecclesie* ab *Arnesto* scripta, Pontificatus extero homini à quibusdam Cardinalibus oblati, abundè *Arnesti* ingenium, prudentiam, ac doctrinam commendant.

Sentire quodammodo tacitam lectoris admirationem hoc loco mihi videor; ut quid enim *Arnestus* summo loco, ut probavimus, natus, Universitatum & Academiarum honores quærebat? an timendum nobilissimo Juveni non erat, nè altissimam, & ditissimam Nobilitatem, ignobili ex studijs artium laureâ contaminaret? Quid prodesse poterat tempus ignavo otio contere, & in tenebris scholarum latere? Hodierni sæculi timor hic est; alia Majoribus nostris mens, alia gloriæ ratio. Nobilitatem doctrinæ sociare, ejusque insignibus vestire, magnum esse decus credebant: nam si ullam hominum conditionem litteræ decent, tum Nobilitatem, quæ jura dicit, quæ consilia de rebus maximis dare solet, quæ legationibus adhibetur. Qui Nobilitatem, stultam virium confidentiam, & paratam cum omnibus certandi temeritatem, ac quidvis agendi licentiam, esse putant, nonne vident se, ab extremis hominum aleatoribus, & sæce tabernarum, ganearum, & lustrorum in contemnenda pro rebus nihili vita superari? Ad *Arnestum* redeamus, cui florenti ingenio, & optimis artibus ad gloriam famamque erecto, nihil tamen ex erudito illo gloriæ pulvere adhæsit aliud, quàm Virtutis, & præcipuè Humilitatis perpetuum studium. Modum tenere in omnibus, rationem sequi, nihil agere ad voluptatem, aut cupiditatem, *Philosophiam* appellabat; ipse consilia libenter audire, neminem contemtu irritare, honore omnes prævenire, ut non tam Scientiæ, quàm *Virtutis Magister* creatus videretur. Hanc virtutis gloriam *Arnesto* coævus scriptor dedit: *quanquam*, ait, *ipse in Jure Canonico, &*

Bononiense studio, in quo, uti & Paduano, tanquam studens, & per 14.

H 3

annos

Gaulterius in Chronol. Bib. larm. in Ioan. Andr. Fichardus in Vita J.C.

Nobilitatem sociata doctrina pulcherrimum decus est.

Arnestus doctissimus & modestissimus.

M. D. T. III.

annos moram continuans licentiari meruerit, tamen cor ipsius ipsa scientia, ut plerisque consuevit, elatione aliquâ non inflavit. O raram Laudationem, & Epiphonema de schola intimæ virtutis depromptum!

Notæ in Caput X.

Na pueris statim sese pro-
dit indoles.

PArvum quendam Præsulem. Pueri sæpè in illa ætate significationem dant futurorum, ut eruditè more suo Nicolaus Serarius S. I. in C. 13. Iudicium probavit. Legantur vita SS. Præsulum; alij canunt ut Sacerdotes, alij aras struunt, alij Episcopos imitantur. Futura prodi in pueris, ostendit etiam Polsevinus noster L. 1. de cultura ingeniorum C. 19. Andreas Vasalius Carol. V. Medicus, adhuc puer ranas diffecabat, inspiciendi gratiâ, & c. ita Anatomia sua, & magnis illis voluminibus prælusit. Notum est historijs omnibus Areopagitarum iudicium, qui puerum morte damnârunt, avium oculos crudeliter confodientem, & lacerantem; futura enim respiciebant. Antonius Muretus lib. 13. variarum, & eruditissimarum lectionum suarum toto C. 9. probat, puerorum lusibus maximas res præsignificatas, idq; confirmat. Cyri. Severi, &c. S. Athanasij synpadas baptizantis, & Ambrosij, aliorumq; puerorum miris exemplis.

Ioannis And-
rez Libri.

Ioannes Andreas Iurisconsultorum Princeps. Ab hoc clarissimo Iurisconsulto, & ab omnibus laudato, sunt Novellæ, Glossæ in VI. & in Clementinas. Vide Bellarm. in Catalogo script. Ecclesiast. Fichard. in Vitis Juris-Cons: Tradunt qui Bononiam descripserunt, filiam Joannis Andrez sæpius pro Patre suo, in Universitate illa, Cathedram ascendisse, & ejus, alijs negotijs occupati, vices doctissime & summâ cum omnium admiratione gessisse, ac publicè (obvelato tamen vultu) docuisse.

Ioannis And-
rez Filia
Iura profice-
bat.

Nobilitatem doctrinæ sociare: *Quantos ego Principes, & quàm multos Optimates, si id nunc ageretur, adferre possem ex
fama*

summa Nobilitate, qui ab Academijs honores petere non dubitarunt! Inter eos Albertus Bavariae Dux censetur, qui Parisijs Magister Philosophiae creatus, Magistrorum Parisiensium habitu indutus, gubernationem Bavariae auspicatus est (Mylius in horto Philosophico, titulo Laurus) Annales Hispaniae, Galliae, Italiae, qui plura cupit, revolvat; Nobis Patria non parvam exemplorum copiam suppeditat, & Illustrissima stirpes Haznburgicorum. (Paprocus in Haznburgicis) Waldsteiniorum (Bernardus Sturmus Cent. 4.) Szelemborgiorum (Bohuslaus Lobkovicz in epist. fol. 59.) Berkarum (Paprocus in Bercis, & Sturmus loco citato) Pifniciorum (Campanus in Programmata Academico Anno 1615. & de Henrico Dominatio libri editi testantur) Wrzefoveciorum (Bohuslaus de Lobkovicz in epist. fol. 190.) Woraczickiorum (Hagek Anno 1326. & 1327.) ac praecipue Lobkoviciorum, ex quibus Bohuslaus de Lobkovicz juris utriusq; Doctor, magnus inter Bohemiae Proceres sub Wladislao Rege circa An. 1500. floruit, cujus ingenio, ut ait Germanus scriptor Chytrus, tota Germania nullum habuit eo tempore praestantius, & politius. Sunt aliae familiae plures, ex quibus doctissimi viri, & in Academijs versati prodierunt. Anno 1374. 12. Febr. in Universitate Pragensi licentiatum Petrus de Rosenberg Ord. S. Ioannis Hierosol. Magister, & cum eo Renfzo Schellendorff. A. 1376. Jaroslatus de Jabloniez. An. 1373. Wilhelmus de Bibra. A. 1376. Petrus Promnicz, Joannes Kybnicz ex Silesia nobilitate. An. 1380. Hodeflaus de Duba, Franciscus de Summerfeldt, Henricus de Duba Magistri Philosophiae A. 1384. in eadem Universitate creati. A. 1385. Hermannus Berka, & Apollonius Berka Philosophiae Magistri. Anno 1389. Wenceslaus de Wilharticz Baro Bohemus. Anno 1390. Ludovicus Berka itidem Baro. Anno 1392. Petrus de Longavilla, Joannes de Sternberg, Joannes de Duba, Petrus de Lerowicz, Petrus de Ugezdz, Michael de Dube (Mraozkiana stirpis) omnes Barones aut Equites per vetusta familia. Anno 1401. Nicolaus de Miliczina Anno 1402. Henricus de Rosenberg. 1405. Zdislaus de Zwirzeticz Baro, qui etiam in hac Academia Philosophiam An. 1417. docuit. An. 1416. Paulus de Krawarz Universitatis Parisiensis Magister in

Cato

Enumeratur
quidam
Nobilissimi
apud nos Vi-
ri omni do-
ctrina excult

Chytrus E-
pist. ad Th.
Mitem praefi-
xa operibus
Bohuslat de
Lobkovicz.

Carolinam admittitur. An. 1458. Benedictus de Wadstein Baro, Magister creatur, & cathedram Magistralem conscendit (ut M. S. Codex loquitur) sub M. Nicolao Barone de Ledecz ei presidente; hic Benedictus Caminensis postea in Pomerania Episcopus fuit. Haec à me nuper obiter annotata, dum manuscriptum vetustissimum è membrana Codicem prae grandem, in quo Acta Philosophicae Facultatis in Universitate Pragensi ab An. 1356. deducuntur, excuterem; plures sine dubio adduci potuissent. Ut meritò hanc gloriam Nobilitatis Paulus Zidek, quatuor Universitatum Doctor, & Litomislensis Episcopus à Pontifice designatus (in aureo suo M. S. libro An. 1470. ad Regem Georgium) amissam haeresi queratur. Idem docet: ad plebsq; Collegiatas in Bohemia Ecclesias, & nominatim ad Omnes Sanctos in Arce Pragensi, neminem nisi nobilissimum quemque, ac omnino nullum, qui Theologiae Baccalaureus non esset, vi prima Foundationis adlegi potuisse. Patrum & Majorum nostrorum memoria Nobilitatem doctissimam habebat Bohemia; in ea Classe nominat Caspar Dornavius Wratislaviensis, Berensteinios, Budovecios, Gersdorffios, Hasensteinios, Hasenburgicos, Hodiogovios, Lobkovicios, Rosenbergios, Raupovios, Rziczanos, Sslickios, Schwambergos, Slavatas, Sternbergos, Smirzicios, Waldsteinios, Wartenbergios, Uhemskios, &c. ex his aliqui scriptis editis suum illustravere nomen. Quantum ego (si id nunc ageretur) Indicem texere possem, si nomina Nobilissimorum atq; Illustrissimorum juvenum, quos Ferdinandaa, & jam Carolo-Ferdinandaa Universitas educavit & educat, quos summâ ingenij commendatione Philosophiam, aliâsq; scientias propugnantes audivit, earumq; etiam Facultatum insignibus ornatos saepius vidit, adducere voluissim? mihi hoc loco satis est docuisse: Nobilitatem optimam non inhonorari Academicis honoribus, quos magno ingenij ac doctrina ambitu quasi verunt; nihil esse inusitatum in Patria, eosdem qui Nobilissimo genere sint editi, inter doctissimos apparere.

Справка
в М. С. 1470.

Dornavius
in Principe
Juveniss
init.

Arne-

Arnestus studijs litterarum absolutis, aulam Summi Pontificis adit, in eaque diu versatus, collecta apud omnes non mediocri gratia, Patriam repetens, Metropolitanæ Pragensis Ecclesiæ Decanus creatur.

AR. 1126

CAPUT XI.

Iam pridem significavi, temporum injuriâ, cruentissimisque in patria bellis, nihil propius factum, quam ut *Arnestus* cum omni memoria interiret; nam ea quæ superest ejus vita, par non est meritis, & malè cœlestibus tanti viri factis respondet. Titulos triumphorum scriptor ille imitari voluisse videtur, in quibus uno alterove verbulo (*de Britannia, de Germania, de Africa, aut de Carthagine*) pericula & prælia omnia, clades hostium, aucti Imperio fines, & quidquid immortale gestum erat, exprimebatur. Apparet ex veteribus libris, *Arnesti* nostri vitam pluribus historicis argumentum dedisse scribendi, sed blattis & tineis, ac fortè etiam flammis, pabulum præbuerunt. *Chronicon* Glacensis Monasterij Anno 1457. à *Michaële de Nissa* loci Præposito scriptum, laudat quandam historiam Regum Bohemiæ, in qua immortalia *Arnesti* facta leguntur; at ubi is liber est? simile sinè dubio fatum invenit cum eo, quem *librum dierum sermonum Regum Iuda*, sacræ litteræ vocaverunt. Idem Chronici scriptor, cum aliqua in *Arnesti* laudem afferre cœpisset, & lectores admiratione

Veni, Vidi, Vici.

De *Arnesto* plurima in Antiquitate scripta.*Chronicon* Glacense M. S.

Vide Interpretes in l. 3. Regum C. 14.

tione viri suspensos teneret, subito mutatâ voluntate, in medio
 cursu restitit, & quasi nimium nota omnibus, & pervulgata nar-
 rasset, quid inquit, istis immoramur, cum alibi sufficienter descripta
 sint? quâ intempestivâ correctionis figurâ *Arnestum* gloriâ, nos
 omnes pulcherrimorum exemplorum utilitate fraudavit. Sed nos
 agamus, quod possumus. Confecto studiorum *Bononiæ, Paduæq;*
 curriculo Romanam Curiam accessisse *Arnestum*, ex ipso satis
 cognoscimus ita scribente: *ivi Pragam, postea transivi ad aliquot
 loca studiorum, & demum Curiam Romanam.* Florebat tùm di-
 vitijs, pietate, ingenijs, doctrinâ, & bonis omnibus Gallia, ut ve-
 rè *Pharetram Christi* cum *Honorio III.* Pontifice diceres, ex qua
 in corda hominû sagittas lectissimas (viros scilicet sanctissimos &
 doctrinâ clarissimos) mitteret Deus, Regesq; armaret, sub quibus
 populi caderent, & inimicorum DEI corda vulnerarentur, quiq;
 velut *primogeniti Ecclesie*, hostiles hæreticorum profligarent exer-
 citus. Incendebant hæc pietatis, & doctrinæ studia ex proximo
 Romani Pontifices, qui *Avenione* in Gallia sedebant id temporis,
 ut Curia Romana *Lutetia* similior, quàm *Roma* videretur; nam
 è Gallia plerique eâ ætate Pontifices legebantur. Hunc piæ Gallie
 habitum gentilem, morésque omnes *Arnestus* didicerat, ut velut
 antè *Italiam*, sic postea *Gallis* Pontificibus, totique genti, & Aula in
 summis amoribus esset. *Magno ab omnibus hominibus* (verba
 sunt Manuscripti Codicis) affectu dilectionis fovebatur, præsertim in
Curia Romana; dum enim ex jussu Imperatoris ipsam Curiam Roma-
 nam, quam sæpius in Legationibus ipsius Imperatoris visitabat, intra-
 ret, Papa & Cardinales ipsius, singulari ipsum honore præ cæteris ho-
 nestabant, ejsq; verbis credentes, in ipsius petitionibus, & legationi-
 bus gratiosius expediebant. Sed quid primùm Aulam adiens *Arne-
 stus* gesserit, quæ fuerint tanti honoris initia, aut quæ relicta vir-
 tutum exempla, altum in omnibus libris silentium; adeò neque
 constat, quo potissimùm anno reversus in Patriam, quo Sacerdo-
 tio initiatus, aut honoribus admotus sit; ordinem tamen in digni-
 tatibus ipse indicat, cum post Aulam aditam, Promotionem, dein-
 de Ordines, tùm beneficia *Ecclesiastica* se consecutum ponit. Veri-
 simile

Chronicon Fla-
cense dt. S.

Arnestus Cu-
riam Roma-
nam accedit.

M. S. Arnesti,
quo Visio nar-
ratur.

Aula Roma-
na, & Ponti-
fices diu ha-
bitabant in
Gallia.

Arnestus in
Gallia, & in
Aula Roma-
na multam
colligit gra-
tiam.

simile mihi fit commendatione, & favore summi Pontificis Joannis XXII. ad Canonatum Ecclesiae Pragensis absentem (quod illi saeculo non inusitatum fuit) erectum, suis deinde virtutibus, & doctrinae merito, post annos aliquot, *Decanum Ecclesiae*, auctore *Ioanne Rege*, voce & suffragijs Canonorum nominatum, ac jam praesentem, solenni caerimonia creatum esse: nam quis tam ignarus moris antiqui reperietur, ut credat eum, qui *Decanus* electus sit, prius *Canonicum* ejus Ecclesiae non fuisse? & cum sua *Venerabili Capitulo* constaret libertas, praeteritis omnibus, electum contendat, qui ex coetu Canonorum, & Ecclesiae illius corpore, non esset? nisi forte id magna doctrina datum putemus. Sed, ut dixi, res nota in Antiquitate, & propè carens exemplo. Destitutor *Pragensis Ecclesiae* monumentis, & consulere absens manu scripta non possum, ut cui *Arnestus* in ea dignitate successerit, proferam; sed Anno 1326. eam dignitatem adijisse, electumque *Decanum*, facile ex Notis, quas subjeci, patebit.

Arnestus
Canonicus
Pragensis.

Arnestus
Decanus
Pragensis
Ecclesiae
Metropolitanae.

Notæ in Caput XI.

Historiam Regum Bohemiae. *Eundem librum* plura *manuscripta vetera* citare solent, atq; ipse Carolus Imperator in *vita sua* (quam edidit Freherus) quoties aliquid praeterijisse sibi visus est, aut minus explicuisse, ad eam historiam & *Chronica Regum Bohemiae Filios suos* (quibus scribebat) remittit. Existimo Reges Bohemiae *Veteres*, atq; ipsum Carolum (qui artes regnandi callebant optimè) habuisse semper viros doctissimos ad latus, quorum labore temporum *Annales* conficerentur. Utinam in nunc libri, sicubi in *scrinijs Antiquitatis* latent, appareant! Nam quod aliqui *Pulkawam*, qui Caesaris Caroli tempore *Bohemicam historiam* scripsit, suspicantur, de nihilo est, cum ea qua à Carolo, alijsq; *Manuscriptis codicibus* citantur, non habeat.

Chronicon
Regum Bo-
hemiae
Veteris
perijisse
videtur.

studia litte-
rarum Majo-
ribus in pre-
tio,

illi sæculo inusitatum non fuit. *Habebant ab-
sentium rationem Majores nostri, ac præcipuè si litterarum causâ ab-
essent. Ita Pretislaus, dum Bononiæ studeret, his ipsis annis in Epi-
scopum Wratislaviensem à Canonicis electus, ut narrat Schickfus.
in Annalib. Silesiæ lib. 3. cap. 2.*

Quo anno e-
lectus in De-
canum sit
Arnestus.

Ex notis patebit. *Id sic probò: decem & septem annos
Ecclesiæ Pragensis, Decani nomine, præfuisse Manuscripti Codices af-
firmant (Cruger. in pulveribus sacris ult. Junij) constat item o-
mnium historicorum fide (Hagecij, Lupacij, Weleslavini, Chronici Gla-
censis, Vita scriptoris, Pontani) Episcopum creatum Anno sæculi
1343. hinc manifestè conficitur, anno, quem nominavi, 1326. Deca-
num electum.*

An. 1336

Sancti Viti Templum ab Joan-
ne Rege spoliatur, Arnesto Decano
frustra obnitente; interea Carolus
Princeps, Arnesti virtute &
Scientiâ capitur.

CAPUT XII.

Joannes Rex
Bohemiz ar-
mistis inclutus,

Regnabat apud Bohemos hoc tempore Ioannes, *Henrici
septimi Cæsaris filius, ex Luxemburgensi stirpe, Princeps
ad bella natus, nec magis virtutibus, quàm vitij nobi-
lis; in utramque enim partem veterum Regum more,
præceps ferebatur. Is cum bella per terras omnes circumferret,
neque vicinos tantum Austriacos juxta Bavaros, Polonos, sed do-
mesticos*

mesticos etiam Regni Proceres armis appeteret, in Italia item non paucas urbes armis obtineret, *Prutenos*, Deorum adhuc cultui devotos, ad obsequium fidei armis compelleret, *Tartaros* (cum quibus multa prospera praelia gessit) vexaret, nimirum Rei nammariæ difficultate inter tot bella laborabat. Ergo *Iudeis* primùm ob perpetrata flagitia (ea enim causa obtendebatur) magnâ pecuniæ summâ multatis, (auri infecti 115. talenta, tria millia argenti, septem millia talenta signatæ pecuniæ, & monilium grandis numerus fuisse dicitur) dulcedine prædandi longiùs provectus, toto Regno *Bohemiæ* tributis exsucto, tandem per causam Religionis Christianæ apud *Prutenos* & *Tartaros* proferendæ, ad *Pragensis Ecclesiæ* thesauros cupiditatem adjecit. Apertè agere vetabatur; *Ioannem* Episcopum, & *Arnestum* Decanum timebat; renunciat: sibi constare, Majores suos *Reges Bohemiæ*, securitatis gratiâ, magnam pecuniæ vim circum sepulchra *SS. Viti & Wenceslai*, in templo *Pragensi*, abdidisse; eâ se pecuniâ in præsens egere. Tentatâ fossionibus tellure, nihil apparuit: in *Sacrario* Canoniorum latere *Thesaurum Regium* (quasi antè errasset) iterum significat; ibi quoque frustra consumptâ operâ, vi denique agendum ratus, & necessitatem, ac Pontificis veniam obtendens, majora se post victoriam daturum pollicitus, *duodecim statuas Apostolorum Christi*, ex puro putoque argento ad magnitudinem humani corporis factas, & *Caroli* filij liberalitate nuper Ecclesiæ donatas, rapi properè jussit. Quantum *Arnesto*, pro thesauris Ecclesiæ vigilantibus, dolorem enorme sacrilegium attulerit, explicare difficile est; nondum arma illa habebat, quibus Episcopi in sacrilegos, & contumaces utuntur. Sed prævenit sententiam, ultusque est Ecclesiæ dolorem DEUS, ac pœnas acerbiores sumpsit, quam vir mitissimus auderet postulare. Siquidem ex eo die *Ioannes Rex*, cui sæpius oculorum dolor antè molestus erat, admissis omnino tenebris excæcatus, nunquam postea lucem vidit; & *Henricus de Arorff*, scelerati consilij author, dum servum sacrilegium exprobrantem verberat, ensè ab eodem transfossus ante solis occasum exspiravit. Ab hac *Arnesti* libertate, ut reor, ortum habuerunt,

Fontanus l. 1.
Bohem. Tid.

Hægel A. 236.

Appetit Rex
Thesaurus
Pragensis
Ecclesiæ.

Pœna divini-
cus inflata
ob raptos Ec-
clesiæ the-
sauros.

Trophæa 3.
Venceslai A.
166. edita Tit.
hostium Tri-
umphator.

obliqua illa Regis in *Arnestum* odia, quæ, ut postea videbimus, Episcopus creatus *Arnestus*, anathemate in *Regem* intorto, vindicavit; sed præcipua odij in *Arnestum* causa, quòd eum *Carolo* filio studere, atque ejus auctoritatem Proceres Bohemos sequi putaret. Dolebat *Ioanni* (ut *Regnum impatiens consortis est*) à Regno universo *Carolus* quari, *Carolus* expectari & amari, neque jam dissimulare ægritudinem animi poterat; itaque reversum ex Gallijs filium, & Moravia cum *Marchionis* titulo impositum, repente destituerat, & omni dignitate exutum, privatum permiserat. Hic pius & ad omnem Divini Numinis timorem, & amorem factus Princeps, sic adhærebat *Arnesto*, ut minima, maximaque ejus consilio, non postea modò *Imperator*, sed etiam nunc *Princeps* gereret, hunc unum admiraretur, Sanctimoniâ, & prudentiâ viri captus, eique conscientia suæ rationes omnes perlibenter aperiret, ut quidquid deinde *Carolus* egregium & divinum ultra cæteros *Principes* egit (egit autem plurima, & nescio an non plerisque Regibus invidenda) uni *Arnesto* accepta referre possimus.

Claudian.

Haged. 1333.
1335. Vide etiam
anno 1318.

Caroli Principis, postea
Cæsaris, in
Arnestum a-
p. 10.

Notæ in Caput XII.

In magnis
viris magna
aliquando
vitia.

Liv. Decad. 3.
l. 1.

Plutarch. in
Demetr. Po-
liorent.

Veterum Regum more. Omnia quæ alluberet impune agere, hoc demum illis erat. Regem esse: de Domitiano juvene Tacitus lib. 4. hist. Domitianus, inquit, sceleribus filium Principis agebat. Utinam vitis virtutes quoque regia respondissent! Ex hoc postremo mixtorum Regum, ut ita loquar, genere, Annibal Dux Carthaginensium fuit, cujus Virtutes cum enumerasset Livius: has, ait, tantas viri virtutes, ingentia vitia æquabant: inhumana crudelitas, &c. Talem nobis descripsit Demetrium Regem (Poliorectem cognomine) Plutarchus, in delicijs, & voluptatibus, in Hibernis omnibus foeminis molliorem; in acie, & belli tempore viris omnibus fortio-rem.

Poenas

C. XIII. PATER ARNESTI MORITVR. 71

Pœnas acerbiores lumbis DEVS. Pecunias, & Ecclesiarum thesauros Ecclesiarum nunquam feliciter in bellum expendi, innume-
ris exemplis patet. Factum Ioannis avi sui imitatus est Imperator
Sigismundus, malo etiam ipse eventu, ut notavit Joannes Tonner
S. I. in Vestigio Bohemiæ Piæ.

Carolus Filium amari. Sapienter à Tacito dictum Regia zelo;
(lib. 2. Annalium) civilia, etiam filiorum, ingenia regnantibus
displicere. Et optimè Cassinus Noster: Regnum esse eiusmodi in-
dulsum, quod alteri nemo velit concedere, nisi mortuus.

Miraculum ad Tumulum S. A. 1338.
Martyris Wenceslai, Bohemiæ Princi-
pis, in manibus Arnesti patratum, aliâq;
ejus consilio perfecta. Moritur Arnesti An. 1342.
Pater, & Filium amplissimarum
ditionum scribit hære-
dem.

CAPUT XIII.

A Nno 1338. tertio Kalend. Octobris illustre omnino ma-
raculum, ad sacrum Divi Wenceslai Martyris, & Bohe-
miæ indigetis tumulum, divinitas operata est, quod quia Trophæa S.
ad Arnestum parte aliquâ spectat, hic referam: Tres bal-
listarij artifices Pragæ advenerant; ex his unus, dum sermones
conferunt, admonet S. Wenceslai Bohemiæ Principis Natalem die
Haget, 1338.
crasti-

Maledicentia in Sanctos raro in-
alta.

Muto-rebilita-
ta loquendi
facultas.

craftinâ celebrari; vacationem igitur ab opere futuram, eoque maturiùs primâ luce ante populi affluxum occupandum locum esse, ut, *sancti Principis* exuvijs honoratis, gratia cælitus impetretur. Assentitur sociorum alter, tertius alibi natus, per summam linguæ petulantiam, & scurrilem vernilitatem, negat sibi cum *blenno* illo & *bardo* (ita *S. Martyrem* appellabat) quidquam negotij esse; nescire se *albúsnæ an ater* fuerit, eum se proinde nullo honore dignari. Innumeris exemplis cognitum est: *DEVVM* suorum amicorum injurias ex tempore, & iracundiùs ferè prosequi, suas persape differre: è vestigio lingua improba hæret, redditurque immobilis; mutus manibus pœnam socijs indicat; fit clamor, & populi accursus maximus, vident quid accidisset, causam etiam, & maledictum à socijs percontando, resciscunt; suadent omnes ad tumultum *S. Martyris* deprecandæ culpæ deducendum esse; deducitur, atque *Arnesto Decano Ecclesiæ*, cæterisque Sacerdotibus ac Prælatis ostenditur. Aderat Peregrinorum (ut temporum illorum ferebat Pietas) innumera multitudo, ad colendam *Divi Wenceslai* memoriam collecta; nihilo religione & spe in *DEVVM* inferior, imò etiam firmior *Ecclesiæ Pragensis Clerus*, cum *Decano* & Prælatis, humi prostratum miserum, apud *Divi* tumultum cingunt, oratur ardentè; nihil dubitavit *Arnestus* cum cæteris *Ecclesiæ Prælatis*, *Caput S. Wenceslai* auro inclusum & gemmis, muti hominis capiti imponere. Vix admovent, momento restitutam sibi loquendi facultatem clamoribus & lachrymis testatur, gaudente inter hæc populo, & gloriæ *S. Wenceslai* clarissimè applaudente.

Hagik. 1340.

Ioannes Pragensis Episcopus Ordinem Canonico-
rum Reg. S. Augustini Arnesto commendat.

Anno 1340. *Ioannes Pragensis Episcopus*, Vir sanctimoniâ vitæ illustris, & multis calumnijs, ut boni solent, jactatus, cum Cœnobium *Raudnicij* in ditione Episcopi magnis opibus condidisset, die quo assumptam in cœlum DEI Matrem veneramus, *Arnesto Decano*, alijsq; primoribus viris in societatem, & gloriam boni operis *Raudnicium* evocatis, Cœnobium ipsum *Canonicis S. Augustini Regularibus* donavit, & tradidit, quod primum in Bohemia ejus Ordinis fuit. Convivio lautissimo excepti hospites ab Episco-

Episcopo sunt, sed Sapientum, aut Sanctorum potius convivium illud fuisse, sermonis argumentum, & *Iannis Episcopi* uberes super mensam lachrymæ probant. Laudabat Religiosum cæcum *Optimus Præsul*; addebat, sibi à DEO revelatum vitæ finem instare; salutem itaque suam hospitibus lachrymans commendabat, pluraque in eam sententiam, dum convivas dimitteret, loquebatur. Alè in *Cor Arnesti*, senis Episcopi lachrymæ descenderunt, & illam *Raudnicensem* Religiosorum hominum Familiam propriè sibi tuendam, & ornandam postea sumit; auxit etiam ædificationibus, ut nulli majorum suorum, aut posterorum Episcoporum usque ad nos, in eo ordine Religioso amando, & locupletando concesserit.

Hagek. An.
1367.

Pontanus in
Bohemia Pis.
Hagek. Ann.
1342. Paulus
Zidek in M. S.
Dobræv. Ep.
Olomuc. hist.
Bohe. l. 22.
Carolus Mat-
chio Mora-
viæ Colleg.
Canonicor.
ad omnes SS.
fundat.
Pontan. in
Boh. Pis.

Hoc etiam tempore *Carolus* (Princeps virtutibus omnibus clarissimus) etsi arctè, contemtèque, ut antè significavi, habebatur à *Patre*, qui nimium sibi juris arrogabat in filium, pietatis studio incensus, ex prioris fortunæ reliquijs, *Pragæ Regiam Capellam SS. Omnium nomine*, Collegio Canonorum addito, & liberalissimè dotato, amplificavit; *Proposito & Canoniciis* sua relicta libertas, quæ in Decani Electione uterentur, nullus tamen nominari poterat, nisi *Artium omnium Magister*, & *Canonum*, aut *Theologiae Licentiatus*, aut *Doctor*, quam sanctionem summi Pontifices facilius approbârunt. Hæc *Arnesti* consilio gesta esse (ob intimam amicitia usum, *Carolus* inter & *Arnestum*) possumus suspicari.

Arnesti Pa-
ter moritur.

Suspicio etiam non levis est, per id tempus *Arnesti* Patrem vitâ cessisse; habeo in manibus ipsas *Originales*, ut vocant, *Testamenti* litteras, vetustissimo scripturæ genere datas in *Scara* Anno 1341. IV. Calend. Januarij. Scio viros prudentes testamenta longè ante mortem condere, & humanæ vitæ incertitudinem timere, tamen cum in ijs litteris *Arnesti Pater* ægrum se corpore scribat (& alioquin ætas ingravescens non multum vitæ promittebat) meritò anno eodem, aut sequente 1342. obiisse creditur.

Testamenti
paterni exe-
cutor Arne-
stus.

Arnestus igitur moriens filium, & Pontificum & Principis gratiâ, suâque virtute & doctrinâ florentem videns, & in primis, velut *primogenito* Filio, Matrem *Aleliczkam* adhuc superstitem, & unâ fratris sui *Theodorici* filios (qui *Hofstinam* Arcem ad *Brodans*

cum illo terrarum tractu tenebant) commendavit, unumque illud omnium suarum facultatum scripsit heredem; neque repugnare *Fratres*, sed *Arnesti* Pietatem, & Justitiam pridem perspectam venerantes, portionem debitam ex ejus sacris manibus accipere maluerunt. Recitabo Antiquitatis amore earum litterarum exemplar, simulque properè ex hisce tenebris, ut pridem cupio, emergam. Septemdecim Annos in *Decani* officio egit *Arnestus*; quid tamen antiquitas nobis reliquit, quod scribi posset? nihil per ignaviam agebat, ad *DEI Maximam gloriam* referebat, omnia, vestigia ubique imprimebat altissimæ Virtutis, unum totum præclaris facinoribus præconium defuit; itaque rerum quas scriberem inopiâ, cæcâ quadam in nocte hæcenus videbar versari

Virgilium.

ruit Oceano nox

Involvens umbrâ magnâ terramq; polûmq; ,
at in posterum ut jam hinc video

alto se gurgite tollunt

Solis Equi, lucemq; elatis naribus efflant.

Notæ in Caput XIII.

Duos mutos
 capite S.
 Venceslai
 admoto cu-
 rat Arnestus.

AD Arnestum parte aliquâ spectat: *Ad Decanum Ecclesie Pragensis cura sacri corporis pertinebat, qui admovere morbis sacrum illud caput solebat. Se ipsum (cum semel bene processisset negotium) imitatus Arnestus, coram Carolo Cæsare, ut diserte narrat Hagecius An. 1347. atractu sacri Capitis alium Mutum sanavit, totamq; facti hujus gloriam in D. Wenceslaum merito transtulit.*

DEUM

DEUM suorum amicorum, & charissimorum

Deus Sanctos
suos defen-
dit.

injurias. *Exempla passim in Speculo Exemplorum invenies, blasphemias in Sanctos extremis & atrocissimis supplicijs divinis punitas, lege apud Dauroultium, aliosq. Solicitus est de honore Sanctorum suorum DEUS. Ubi nos habemus in Genesi: Non permanebit spiritus meus in homine; in Hebræo esse dicitur: non invaginabitur spiritus meus; est enim DEVS (ut loquitur Franciscus Georgius Probl. 79. in Genesim) in Sanctis suis velut gladius in vagina, ob velocitatem scilicet auxilij, ob defensionem Sanctorum, &c. Huc referri potest illud, quod D. Ambrosius de Beatissima Virginis deffensatione dixit: Maluit Dominus aliquos de sua generatione, quam de Matris pudore dubitare.*

Recitabo litterarum exemplar. *Hoc ipsum, ut apponerem, quidam in Antiquitate curiosi monuerunt.*

Arnostus de Scara Testamenti
sui Executorem constituit R. D. Arne-
stum Decanum Ecclesiæ Pragen-
sis, filium suum. An. 1341.

Ita in vetu-
sta membra-
na invenio.
- in Originali.Archiv-Glaz.
N. 17.

NOverint universi, presentes litteras
inspecturi: quod ego Arnustus de Sca-
ra, licet aliquantulum eger corpore, sanus
tamen mente, & in bona valetudine rationis,
dilectum filium meum D. Arnestum, Deca-

K 2

num

num Ecclesie Pragensis, quodcumque me
DEVS de hac luce migrare permiserit, post
obitum meum executorem Testamenti mei
constituo, ordino, & facio; dōq; & eidem
filio meo principaliter Arcem meam, ac mu-
nitionem meam Pardubycz, cum Civitate
nova, & villis; scilicet: Ostrzessan, Buko-
vyna, Czyrna, Lhota dicta Bibarzka, &
Lhota de Przewoz, cum hereditatibus,
silvis, molendinis, aquis, piscationibus, pra-
tis, & omnibus pertinentijs suis, nec non o-
mnes alias munitiones, ac curias, araturas,
Civitates, villas, & hereditates meas, quas
ubicumque locorum habeo, & omnes res, & bo-
na mea mobilia, & immobilia, in quibuscumque
rebus existant, nec non orphanos pie recor-
dationis Fratris mei Theodorici quondam
de Hostyna, ac Conthoralem meam D. Ade-
liczkam, & liberos meos committo, & com-
mendo, ipsūmq; tutorem, ac gubernatorem
& rectorem eorū ordino, & constituo per hac
scripta

C. XIII. PATER ARNESTI MORITVR. 77
scripta; preterea D. Adeliczcze & Conthorali
mea Munitioem in Scara, & ipsam vil-
lam dictam Scara, cum Civitate Liuban, &
villis; videlicet: Hrzmin, Wazicze, &
Sedlyscze, ac cum molendinis omnibus, aquis,
pratis, pascuis, omnibusq; hereditatibus cul-
tis & incultis, ad prefatam munitioem in
Scara, Civitatemq; Liuban, & villas predi-
ctas pertinentibus, pro suo dotalicio lego, &
do; per presentes adijciens, quod tam eadem
bona, quam dictam conthoralem meam, ma-
trem suam, precedens D. Arnestus Decanus
Pragēsis, filius meus, regere debeat, & tueri;
cujus consilio, & consensu eadem mea contho-
ralis de predictis bonis nihil alienet, ac fa-
ciat, ordinet ac disponat. In cuius rei robur,
ac testimonium, sigilla, meum videlicet, &
Nobilium virorum, Dominorum & vicino-
rum meorum Boczkonis de Kopydlna, Syppa
de Nemoyczewes, Bohunconis de Lopucz,
Buczkonis de Marquarticz, Sdeffsonis de

K 3.

Strie-

78 DE VITA VENERABILIS ARNESTI LIB. 1.
Strieuvacz, presentibus sunt appensa. A-
ctum, & datum in Scara A. D. 1341. IV.
Calend. Januarij.

Sigillum Boczkonis de Kopydlna Sagitta vetus
est, qualem ferunt Domini de Kravvarz in
Moravia, & Mraczky in Bohemia.

Sigillum Buczkonis de Marquarticz Cornua
quædam, qualia Domini Dubsky gerunt.

Sigillum Sdeffonis de Sirzieuvacz habere vi-
detur Ibycem aut Rupicapram, aut aliud si-
mile Animal.

Tria reliqua sigilla, etsi intacta (id est primum,
tertium, & quartum) præ Antiquitate di-
stingui satis non possunt.



De